BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 Q
19

VI. 7. 7.
E.12



13-1.E 30

CONSTITVTIONES APOSTOLICAE SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

ROMAE.

Ex Typographia Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

M. DC. XLII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Io. Bapt. Alterius Epiſc. Camerin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Ioſeph Maria Auila Magiſter, & Reuerendiſs. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius.

ERECTIO CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INSCRVTABILI diuinæ prouidentiæ arcano, ad Chriſti Eccleſiæ regenda gubernacula, nullis noſtris meritis, à Spiritu Sancto vocati, præcipuas noſtri paſtoralis muneris partes eſſe intelligimus, ſedulo inuigilandi, & quantum nobis ex alto conceditur, intentis ſtudijs adnitendi, vt oues miſerabiliter errantes, ad Chriſti ouile adducantur, ac Dominum gregis agnoſcant, & paſtorem. Quò ſcilicet, diuina aſpirante gratia, deſinant per infelicia paſcua infidelitatis & hæreſum vagari, & aqua mortifera peſtilentiæ potari, ſed in loco paſcuæ veræ Fidei, ac ſalutaris doctrinæ collocentur, & adducantur ad vitæ fontes aquarum. Et verò quis non intelligit, omnem noſtram ſolicitudinem deſiderare, omnemq; conatum à nobis exigere, opus adductionis animarum ad Eccleſiam Chriſti? quippe quod tanti fecerit Deus Mundi ſalutem, vt ipſum Vnigenitum ſuum daret, Vnigenitum illum, qui cùm eſſet ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis; vt ſua nimia charitate ſeruos, & malos ſeruos, Dominus redi- Exordium.

meret pretio Sanguinis ſui. Inæſtimabilis huius charitatis imitatores eſſe profectò omnes debent, qui Chriſtiano nomine fideliter gloriantur, & membra Chriſti effecti ſunt, vt eius verbi factores ſint, non auditores tantùm: nam & per ſanctum Apoſtolum ſuum monet. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Quòd ſi hæc ad vnumquemque Chriſtianorum ſcripta ſunt, quanto magis ad eos, qui in ſortem et militiam Chriſti vocati, poſiti ſunt Epiſcopi regere Eccleſiam ſuam? quibus ſæpe per Prophetas ſuos grauibus verbis comminatur, ſi paſcentes ſemetipſos, gregem non paſcunt, & quod craſſum eſt occidentes, infirmum non conſolidant, ægrotum non ſanant, confractum non alligant, abiectum non reducunt, perditum non quærunt. Quæ profectò voces, vt omnes Eccleſiarum Rectores valde ſollicitos habere debent, licet in partem ſollicitudinis ſint vocati, ita multo vehementiùs nos vrgent, qui in plenitudinem electi, non ſolùm vniuerſo gregi, ſed etiam Paſtoribus præpoſiti ſumus. Quocirca quod Apoſtolis omnibus à Domino mandabatur, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus præſtabat prærogatiua Principatus, & cui ſoli iniunctum fuerat à Domino, vt paſceret oues ſuas. Quapropter et vni Petro vas illud, quaſi linteum, oſtenditur quatuor initijs de cælo ſubmitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et ſerpentia terræ, et volatilia cæli, quodq; illa vox ſequuta eſt, Surge Petre, occide, & manduca. vt præfiguraretur Petri et Succeſſorum eius munus ex quatuor Mundi partibus homines varia impietate inſipientes congregandi, quò eos quaſi occidendo, hoc eſt, veteri vita exuendo, et exutos manducando, ideſt in ſua membra, qui viſibile erat caput Eccleſiæ, conuertendo, etiam membra Chriſti redderet, inuiſibilis Eccleſiæ capitis, atque ita adipiſcerentur participationem generationis Chriſti, eamque adepti, quæ Chriſti ſunt ſaperent, quæ Chriſti ſunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in æterna paſcua transferrentur, potandi torrente inexhauſto voluptatis Dei. Quantum verò his calamitoſis temporibus excreuerit errantium, & diſperſarum ouium numerus, qui Eccleſiam Sanctam eius Catholicam, Chriſti ouile, vel nunquam cognouerunt, vel cognitam Sathanæ dolis deſeruerunt, ſine lachrymis commemorari non poteſt. Si enim mentis noſtræ aciem conuertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, iam tot ſeculis Agarenorum impuriſsima

demen-

dementia captam, inſaniq; erroris, ac mendacij tenebris obcæcatam, miſeratione commouentur viſcera noſtra, cernentes, tam multis ac varijs cæleſtibus donis olim celebres nationes, per ignorantiæ et peſtilentis perſuaſionis ſtuporem, humanitatem in beſtiarum naturam ferè mutaſſe, atque ad æterna incendia Diabolo & Angelis eius parata, ali, ac propagari. Et licet inter eas aliquæ ſint gentes in iuſtitia detentæ, quæ Chriſti nomen inuocant; tamen ita antiquarum hæreſum veneno ſunt infectæ, vt ſinceram veritatem pauciſſimæ agnoſcant, ac ferè omnes, in multis nedum in vno peccantes, factæ ſint omnium reæ. Vbi verò, peccatis noſtris facientibus, inimicus homo ſuper bonum ſemen in Septentrionalibus partibus ſeminauit hæreſum zizania, ita dira contagia graſſata ſunt, vt animas innumerabiles iamdiu perdiderit, ac Prouincias, & Regna Chriſto per ſummam iniuriam erepta, ſuæ tyrannidi mancipauerit. Quamobrem, etſi à fel. rec. Romm. Pontt. prædeceſſoribus noſtris, paſtorali vigilantia, ope, ſtudio, et induſtria elaboratum fuerit, ne tam multæ meſſi deeſſent operarij, & negotiatio hæc ſancta non negligeretur; nihilominus Nos, vt maiori cum vigilantia, cura, et feruore, opus proſequi poſſimus, et in poſterum ſucceſſores noſtri poſſint, nonnullorum Ven. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium peculiari ſolicitudini negotium committendum duximus, prout tenore præſentium committimus, et demandamus. Volentes, vt in vnum congregati, adhibitis etiam aliquot Rom. Curiæ Prælatis, et Religioſis viris, ac Secretario, prout Nos hac prima vice eos adhiberi voluimus, & nominauimus, in commune conſulant, tantæq; rei nobiſcum inuigilent, ac tam ſancto et Diuinæ Maieſtati maximè grato operi, quanto meliùs fieri poterit, incumbant: quod, vt commodius præſtari poſſit, ſemel coram Nobis, ac bis ſaltem in domo antiquioris eorum, quolibet menſe congregentur, omniaq; et ſingula negotia, ad Fidem in vniuerſo Mundo propagandam pertinentia, cognoſcant, et tractent, et grauiora quæ in prædicta domo congregati tractauerint, ad Nos referant: alia verò per ſe ipſos decidant, & expediant pro eorum prudentiâ. Miſſionibus omnibus, ad prædicandum et docendum Euangelium et Catholicam doctrinam, ſuperintendant, miniſtros neceſſarios conſtituant, et mutent. Facultates DD. Cardd. Congreg. de Propag. Fid. Nos enim eis, tàm præmiſſa, quàm omnia et ſingula alia deſuper neceſſaria et opportuna, etiam ſi talia fuerint, quæ ſpecialem, ſpecificam, et expreſſam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi, et exequendi, plenam, liberam, et amplam fa-

 cultatem,

cultatem, auctoritatem, & poteſtatem, Apoſtolica auctoritate, earundem tenore præſentium concedimus, & impartimur. Vt verò res tanti momenti, in quam magnos ſumptus fieri neceſſe eſt, per temporalium cum ſpiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, faciliùs, & celeriùs procedat, vltra ea, quæ ex arca noſtra priuata ſuppeditari iam mandauimus, & piorum fidelium liberalitate collata ſunt, & in poſterum non defutura ſubſidia in Domino confidimus, cùm noſtrum, & huius Sanctæ Sedis proprium ſit negocium, certos huic operi redditus ex Camera noſtra Apoſtolica in perpetuum attribuemus, eorumque adminiſtrationem iiſdem Cardinalibus committemus, prout in alijs noſtris expedieñ. literis pleniùs continebitur.

Cardinales, & Prælati primò deputati in Congr. de Prop. Fide.

Cardinales autem, quos Sancto huic negocio præfecimus, ſunt qui ſequuntur Antonius Oſtieñ Saulius. Odoardus Sabineñ Farneſius, Octauius Præneſtiñ. Epiſcopi, Bandinus. Franciſcus S. Praxedis de Surdis, Maphæus S. Honuphrij Barberinus, Ioannes Garſias SS. Quatuor Coronatorum Millinus, Gaſpar S. Crucis in Hieruſalem Borgia, Robertus S. Alexij Vbaldinus, Scipio S. Suſannæ, Petrus S. Saluatoris in Lauro Valerius, Itelius Fridericus S. Laurentij in pane & perna de Zolleren, Ludouicus S Mariæ Tranſpontinæ Ludouiſius, & Franciſcus S. Matthæi, Titulorum Presbyteri Cardinales, Sacratus, nuncupati. Prælati verò, dilecti filij Io. Baptiſta Viues in vtraque Signatura noſtra Referendarius, & Io. Baptiſta Agucchius Secretarius noſter, ac Sedis Apoſtolicæ Notarius, & Dominicus à Ieſu Maria Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Profeſſor, & Vicarius. Secretarius verò à Nobis pariter deputatus dilectus filius Franciſcus Ingolus Presbyter Rauennas V. I. D. Decernentes, præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ſemper & perpetuo valida, firma, & efficacia eſſe, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter & inuiolabiliter perpetuò obſeruari debere. Sicq; & non aliter per quoſcunque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, vbique iudicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clauſulę derogatoriæ.

Non obſtañ quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & inſtitutis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, &

inſoli-

inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenore præſentium pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisq́; contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrorum, commiſſionis, demandationis, voluntatum, decretorum, conceſſionis, impartitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, decimo kal. Iulij, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

V. DAT.

Felicianus Paulus.

S. de Vrſinis.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Litteræ Apoſtolicæ Applicationis Annulorum Cardinalitiorum Sacræ Congregationi de Propag. Fide.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem ex Paſtoralis officij debito, ad ea per quæ Congregationum quarumlibet, præſertim ad Fidei Catholicæ propagationem inſtitutarum neceſſitatibus & indigentijs occurritur, libenter intendere, ac in his eiuſdem officij ſui partes fauorabiliter interponere, prout conſpicit in Domino ſaluberiter expedire. Aliàs ſiquidem nos, certis rationabilibus de cauſis, emolumenta ratione Annulorum Cardinalitiorum per hæredes S. R. E. Cardinalium vita functorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ

ſolui

ſolui ſolita, Baſilicæ Sancti Ioannis Lateranenſis de Vrbe ad certum, tunc expreſſum, & nondum elapſum tempus, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, & elargiti ſumus; prout in litteris Apoſtolicis, ſub Annulo Piſcatoris deſuper confectis, pleniùs continetur. Nunc verò attendentes Congregationem Venerabilium fratrum noſtrorum eiuſdem S. R. E. Cardinalium, per nos hodie pro fidei Catholicæ propagatione inſtitutam, ſufficientibus redditibus & prouentibus ad opus tam pium neceſſarijs & oportunis minimè ſuffultam reperiri: ac illi, vt onera huiuſmodi faciliùs perferri valeat, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere volentes; necnon emolumentorum huiuſmodi quantitates, ac valores etiam annuos, ſcripturarumq; ſuper præmiſſis confectarum veriores, ac totos tenores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, Motuproprio, non ad alicuius inſtantiam, ſed de certa ſcientia, & mera liberalitate, ac matura deliberatione noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas donationes, elargitiones, applicationes, & cõceſſiones, ſeu quaſuis alias diſpoſitiones de dictis emolumentis, ſeu eorum iuribus, prædictæ, ſeu quibuſuis alijs Baſilicis, vel alijs locis pijs, quomodolibet qualificatis, & nuncupatis hactenus quomodolibet, & ſub quorumuis verborum expreſſionibus & formis, perpetuò vel ad tempus, per Nos ſeu quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam Motu ſimili, ac Conſiſtorialiter factas, aliaq; iura illis ſeu etiam alijs Vrbis Baſilicis vel locis pijs huiuſmodi, ex prædicta donatione, vel alia etiam quantumuis iuſta & rationabili cauſa vel occaſione competentia, ac quaſcumque literas Apoſtolicas forſan deſuper confectas, & in eis contenta quæcunque, quorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò reuocamus, caſſamus, extinguimus, & annullamus, nulliuſq; roboris, vel momenti fore & eſſe declaramus: necnon emolumenta Annulorum Cardinalitiorum huiuſmodi, quæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ſiue ijs, quibus applicata fuerant ab hæredibus Cardinalium defunctorum, debebantur, & ſoluebantur, prædictæ Congregationi cum omnibus & ſingulis iuribus & actionibus in perpetuum donamus, concedimus, & applicamus. Ita vt liceat S. R. E. Cardinalibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, Congregationis huiuſmodi, ſeù ab illis Deputatis, vel eorum Miniſtris, præfata emolumenta, propria auctoritate, etiam per mandata ab antiquiori Congregationis huiuſmodi Cardinali, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, ac manu Regia, decer-

Annulorum Cardinalitiorũ applicatio Cõgr. de Propag. Fide.

decernenda, & relaxanda, exigere, leuare, ac illa penes Montem Pietatis deponere, ſeu in tot locis Montium non vacabilium, aut aliàs quouis modo, arbitrio dictæ Congregationis, ad effectum illa in pios vſus & neceſſitates ipſius Congregationis ſimiliter eius arbitrio, & prout ipſis melius videbitur, expendenda & eroganda inueſtire. Inſuper vt venerabiles fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales qui nunc viuunt, hoc pium & laudabile opus adiuuare poſſint, volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, quòd ſi aliqui ex dictis Cardinalibus in eorum vita emolumenta, ratione ſui Annuli Cardinalitij, prædictæ Congregationi realiter & cum effectu tradiderint, vel qui de cætero tradent, & aſſignabunt, hæredes Cardinalis ipſius vita functi, ſeu cauſam ab eo habentes vel habituri, ad eorumdem emolumentorum præſtationem vel ſolutionem minimè teneantur, nec ad id obligati ſint, minusq; ad id cogi vel compelli poſſint: quinimò, pro maiori illorum ſecuritate, dilecti filij S. R. E. Camerarius, Theſaurarius, aut alij Officiales Cameræ Apoſtolicæ pro tempore exiſtentes, ad quos ſpectabit, ſtatim atque ipſis conſtiterit, Cardinales ſeu hæredes huiuſmodi emolumenta prædicta eidem Congregationi, vt præfertur, ſoluiſſe, eoſdem Cardinales ſeu hæredes per cedulam publicam etiam in ampliſsima forma eiuſdem Cameræ, etiam perinde ac ſi emolumenta huiuſmodi ſibi perſoluta fuiſſent, de ſolutis quietare, & in euentum cuiuſcunque moleſtationis, eandem Cameram ad pecuniarum eorundem emolumentorum ratione ſolutarum reſtitutionem obligare debeant. Nos enim eos ab alia emolumentorum huiuſmodi aſſignatione, traditione, & effectuali conſignatione abſoluimus, & quietamus. Mandantes, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo, inhibentes dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Vicecamerario, Theſaurario, & Clericis Præſidentibus, necnon Cameræ Apoſtolicæ Commiſſario, & Officialibus, ne ex emolumentis huiuſmodi vllam pecuniarum quantitatem ad certam rationem pro quolibet centenario, & anno per eos forſan percipi ſolita, aut regalia vt vocant, vel quicquam aliud quouis prætextu, colore, vel ingenio, etiam ratione ſtipendij ſeu ſalarij prætendere, habere, conſequi, aut exigere poſſint. Sed vt eaſdem præſentes literas firmiter, & inuiolabiliter obſeruent, ac ab omnibus inconcuſsè obſeruari faciant & procurent. Imò ſemper, & quandocunque illis conſtiterit, prædictos Cardinales, ſeu ipſorum

De Quietātijs quæ fieri debēt ſolūtibus Annulum Cardinal.

rum

rum hæredes, huiuſmodi emolumenta Annuli prædictæ Congregationi ſoluiſſe; ſtatim, ſi petatur quietantia, in ampliſſima forma, tanquam ſi eidem Cameræ Apoſtolicæ ſoluta eſſent, expedire debeant, & ipſa Camera in caſu moleſtiæ, vt præfertur, ad reſtitutionem ipſis Cardinalibus ſeu eorum hæredibus faciendam teneatur. Non permittentes, ipſam Congregationem, illiusq; perſonas, & Miniſtros ſuper dictorum emolumentorum conſequutione à quoquam publicè vel occultè, directè vel indirectè, quouis quæſito colore: vel ingenio impediri, moleſtari, aut inquietari, ac decernentes, præſentes litteras etiam ex eo quòd Capitulum & Canonici dictæ Baſilicæ Lateraneñ, vel quicunque alij, in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, vel alij ad quos forſan ſpectat & pertinet, ſeu pro tempore ſpectabit & pertinebit, ad hoc vocati & auditi non fuerint, neque præmiſſis conſenſerint ſeu conſentiant: imò forſan illis contradicturi ſint, ſeù quibuſuis alijs quantumuis iuſtis, iuſtiſſimis, & rationabilibus cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu cogitato vel inexcogitato notari, impugnari, retractari, annullari, in ius vel controuerſiam reuocari, aut aduerſus eas quodcunque iuris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari: vel ſub quibuſcunque conſtitutionibus, & literis Apoſtolicis in contrarium, etiam motu pari, & conſiſtorialiter emanatis, & emanandis, vel quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus nullatenus vnquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè redintegratas; ac de nouo etiam ſub quacunque poſteriori data per perſonas Congregationis huiuſmodi pro tempore exiſtentes eligenda, conceſſas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet ſpectat & pro tempore ſpectabit, firmiter & inuiolabiliter obſeruari & adimpleri debere; ſicq́, & non aliter per quoſcunque Iudices, Ordinarios vel Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæq; Sedis Nuncios, ac etiam Theſaurarium, Clericos Præſidentes, ac Commiſſarios, alioſq; Cameræ huiuſmodi Officiales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, &

Clauſulæ derogatoriæ.

di, &

di, & interpretandi facultate, & auctoritate in qualibet inſtantia iudicari, & definiri debere, irritumq; & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignotanter contigerit attentari, auctoritate Apoſtolica decernimus. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Oſtienſi & Portuenſi Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, quando, & quoties pro parte dictæ Congregationis, ſeu pro ea Agentium requiſiti fuerint præſentes litteras, & in ea contenta quæcunque vbi, quando, & quoties opus fuerit, faciant integraliter obſeruari. Non permittentes dictam Congregationem, ſeu pro ea Agentes huiuſmodi deſuper quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, aut inquietari, Contradictores, & Rebelles quoſlibet per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaq; Iuris, & facti remedia compeſcendo; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quatenus opus ſit, de vna, ac Concilij generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra ſuam Ciuitatem, & diœceſim vltra tres dietas ad Iudicium non trahatur, necnon Simmachi, & Pauli II. ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac Pij IIII. de gratijs intereſſe Cam. Apoſt. quomodolibet concernentibus infra certum tunc expreſſum tempus in eadē Camera regiſtrandis, & in illius libris inſinuandis. Ita quòd Congregatio huiuſmodi, aut alij eius Miniſtri ad illas inſinuandum non teneantur, & nihilominus præſentes litteræ eandem firmitatem obtineant, ac ſi in dicta Camera infra tempus ad id præfixum inſinuatæ, & regiſtratæ fuiſſent. Necnon noſtra, & Cameræ Apoſtolicæ regula de iure quæſito non tollendo, alijſq; Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prędictæ Lateranenſis, ac quarumuis aliarum Vrbis Baſilicarum, vel piorum locorum, etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, illarumq; Capitulis, & Canonicis, ac alijs Superioribus, & perſonis, etiam Conſiſtorialiter, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, ac alijs efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & confirmatis, ac innouatis. Quibus omnibus

Executores huius Conſtitutionis.

etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, latiſſimè hac vice harum ſerie derogamus, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd quicumque de cetero perpetuis futuris temporibus in Sacrum Collegium dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros cooptabuntur, ſi præſentes fuerint ſtatim, ſi verò à Curia abſentes poſt ſuſceptionem bireti rubei, Iura quæ ratione Annuli Cardinalitij, poſt eorum obitum, Cameræ Apoſtolicæ debebantur, prædictæ Congregationi, ſeu ab ea Deputatis realiter, & cum effectu perſoluere teneantur. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrorum, reuocationis, caſſationis, extinctionis, annullationis, donationis, conceſſionis, aſſignationis, declarationum, abſolutionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, decimo kal. Iulij, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

V. DAT.

Felicianus Paulus.

S. de Vrſinis.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Die Lunæ 8. Menſis Auguſti 1622.

Supradictæ litteræ Apoſtolicæ in plena Camera Apoſtolica exhibitæ, & præſentatæ fuerunt, & de ipſius Cameræ Decreto cõmiſſæ Perilluſtri, & Reuerendiſſimo D. Hieronymo Serlupio eiuſdem Cameræ Decano, & ſubſequenter die Mercurij 24. eiuſdem menſis, Camera ipſa, citato priùs admodum Illuſtri,

& Re-

& Reueren diſſimo D. Ioanne Benino Sanctiſſimi D. N. & prędictæ Cameræ Generali Commiſſario, referente eodem Reuerendiſſimo D. Decano illas admiſit, & in eiuſdem Cameræ libris regiſtrari mandauit, prout fuerunt lib. 2. ſignat. Sanctiſsimi D. N. Gregorij Papæ XV. ſub fol. 53. penes me infraſcript. eiuſdem Cameræ Apoſtolicæ Notarium.

Ioannes Ferrinus.

Quòd Litteræ, & ſcripturæ omnes tradantur gratis Miniſtris Congregationis de Propag. Fide.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM inter multiplices, & grauiſſimas Apoſtolatus noſtri curas, quibus aſſiduè præmimur, illa Nos præ ceteris maximè ſollicitos iugiter habeant, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica Fides vbique conſeruetur & propagetur, eaq; de cauſa negotium propagandæ in vniuerſo Mundo eiuſdem Fidei nonnullorum Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinaliũ, qui in vnum congregati tantæ rei nobiſcum inuigilent, peculiari ſolicitudini, iuxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium nuper commiſerimus, & demandauerimus, dignum, quin potius debitum reputamus, ea Congregationi huiuſmodi cõcedere, per quæ faciliori onerum illi incumbentium ſupportationi opportunè conſulatur. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione, noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus quęcumque patentes, ſeu alio quouis nomine nuncupentur litteræ, chirographa, inſtrumenta, teſtamenta, & aliæ quęcumque ſcripturæ, quocumque nomine cenſeantur, necnon quęcumque litteræ Apoſtolicæ, tàm ſub plumbo, quàm in ſimili forma Breuis, earundemq; litterarum Apoſtolicarum ſupplicationes ſuper quibuſcumque negotijs, rebuſq; & bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus ad ipſam Congregationem quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac demum quocumque intereſſe eandem Congregatio-

nem quouis modo, & ex quauis cauſa concernente pro tempore conficiendæ, & regiſtrandæ; necnon ſimiliter quæcumque litteræ, quas ex omnibus Mundi partibus eidem Congregationi ſcribentur, ac illæ, quæ eiuſdem Congregationis nomine extra Almam Vrbem noſtram mittentur, gratis omnino, & abſque vlla mercede, aut alicuius rei, etiam quantumuis minimæ, ſolutione expediri confici, regiſtrari, relaxari, tradi, & mitti debeant, tenore præſentium concedimus & indulgemus: ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, & alijs arbitrij noſtri pœnis præcipimus & mandamus dilectis filijs Reſcribendario, ac Computatori litterarum Apoſtolicarum, necnon Secretarijs Apoſtolicis, & Breuium Apoſtolicorum Magiſtro, ac Scriptoribus & Regenti Montium, Notarijs, Tabellionibus, Poſtarum Magiſtris, alijsq; Officialibus, & Miniſtris quocumque nomine nuncupatis, etiam ſi officia, titulo & cauſa merè oneroſis obtineant, vt litteras prædictas, ac Chirographa, inſtrumenta, & alias ſcripturas huiuſmodi ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam coniunctim, quàm diuiſim gratis de mandato noſtro vbique in omnibus etiam Abbreuiatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, Plumbiq; & Regiſtri, ac alijs quibuſuis officijs abſque aliqua pecuniarum exactione, etiam quantumuis minima, etiam per viam compoſitionis faciendæ, omni contradictione & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediant, regiſtrent, mittantq; & relaxent, ac ſignari, expediri, regiſtrari, mittiq; & relaxari curent, & faciant realiter, & cum effectu. Decernentes, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo vnquam tempore, etiam ex eo quod prædicti, & quicumque alij in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, ſeu alio quocumque prætextu, cauſa & occaſione, de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, ad ius vel controuerſiam reuocari, neque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, vel alijs contrarijs diſpoſitionibus vllatenus comprehendi poſſe, ſed ſemper & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicq; & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam

quauis

quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtañ. fel. rec. Pij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de gratijs qualecumque intereſſe Cam. Apoſtolicæ quomodolibet concernentibus, in eadem Camera infra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, necnon quibuſuis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac regula noſtra de iure quæſito non tollendo, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarij dictæ Congregationis, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, vel extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Decembris 1622. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Facultas deputandi Iudicem pro Congregatione de Propaganda Fide.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM nuper ex iniuncto humilitatis noſtræ paſtoralis officij debito negotium propagandæ in vniuerſo Mundo Catholicæ Fidei nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, qui in vnum Congregati tantæ rei nobiſcum inuigilent, peculiari ſolicitudini commiſerimus, & demandauerimus; prout in noſtris inde ſub plumbo expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

tur. Nos Congregationis huiuſmodi commodis, atque indemnitati, & ne ipſa Congregatio, eiusq; officiales deputati, ſeu procuratores pro litibus, quas eos ſuſcipere & ſuſtinere contingerit per diuerſa Vrbis Tribunalia, & coram diuerſis Iudicibus diſtrahantur: quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem Congregationi, vt vnum ex Cardinalibus prædictis in infraſcriptarum cauſarum Iudicem, cum poteſtate aliam perſonam ſibi beneuiſam etiam ex dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam ſuſtituendi, ac quoſcumque notarium, ſeu notarios, ac alios officiales, & miniſtros ad hoc neceſſarios & opportunos eligendi, & conſtituendi, deputare liberè, & licitè valeat, tenore præſentium, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Inſuper omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controuerſias, ciuiles, criminales, prophanas, ſpirituales, meras, & mixtas, actiuè, & paſſiuè, nomine dictæ Congregationis, ſeu eius officialium deputatorum, vel Procuratorum, contra quaſcunque perſonas cuiuſcumque dignitatis, ordinis, & conditionis, & præeminentiæ exiſtentes, ſeculares, Eccleſiaſticas, aut religioſas, vel Vniuerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monaſteria, aut alia, æquè vel magis pia, & priuilegiata loca, ac Viduas, Pupillos, & alias perſonas etiam exemptas: etiam in quibus Congregatio prędicta, ſeu eius officiales Deputati, vel Procuratores rei, vel actoris partes ſubſtinuerint, vel ſubſtineant, etiam coram S. R. E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & Curiæ cauſarum dictæ Cameræ generali Auditore, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore Almæ Vrbis noſtræ Cauſarum Appellationum Capitaneo, & Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac eiuſdem S. R. E. Cardinalibus, alijsq; Iudicibus, ordinarijs, ſeu delegatis, de ſtatu, rebus, bonis, ac iuribus dictæ Congregationis, necnon quibuſcumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæredibus, ac illarum diſcuſſionibus, necnon quarumcumque Iurium, & actionum ceſſionibus, alijsq; inter viuos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus & actionibus ad dictam Congregationem, ſiue illius nomine ad illius officiales deputatos, ſeu Procuratores prædictos ſpectantibus, & pertinentibus, tam coniunctim quàm diuiſim, ac tam actiuè quàm paſſiuè, hucuſque motas & mouendas, & in quacumque inſtantia

pen-

pendentes, etiam non obſtante, quod cum eiuſdem Congregationis auctoribus, ſit cœpta inſtantia, quarum omnium, & ſingularum ſtatum, & merita, necnon Iudicum, & collitigantium nomina, & cognomina, ac qualitates proceſſus deſuper formatos, habitos, & inſtructos, cæteraq; etiam de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac pacificè, & ſingillatim expreſſis haberi volumus, in ſtatu, & terminis, in quibus reperiuntur, harum ſerie ad nos auocamus, illaſq; motas & mouendas, & pendentes, necnon omnes, & ſingulas alias cauſas, lites, & controuerſias deinceps ſuper quibuſuis dictæ Congregationis bonis, rebus, ac iuribus, ac alijs ipſius Congregationis, qualecumque ius, aut intereſſe, etiam reſpectu operum piorum ab ipſa exerceri ſolitarum, ſeu aliàs ipſi pro quauis diſpoſitione demandandorum, tam ſecundariò, quàm principaliter, aut acceſſoriè concernentes, & quas Congregatio prædicta, ac eius nomine nunc, & pro tempore exiſtentes officiales deputati, vel Procuratores prædicti, habere, & mouere volent quomodolibet in futurum, contra eaſdem vel ſimiles, aut alias perſonas, Vniuerſitates, Collegia, Congregationes, Confraternitates, Monaſteria, ac alia huiuſmodi loca pia, pro rebus, bonis, hæreditatibus, iuribus, & actionibus huiuſmodi Cardinali in Iudicem, vt præfertur, ab ipſa Congregatione vigore præſentium deputando, huiuſmodi pro tempore exiſtenti, vna cum omnibus illarum emergeñ, dependeñ, incidentibus, annexis, & connexis, totoq; negotio principali ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſola veritate facti inſpecta, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & abſque tela iudiciaria, ac aliquorum terminorum ſubſtantialium obſeruatione, aut alicuius regiſtri, vel extractus confectione, necnon cum omnibus & ſingulis facultatibus, & priuilegijs dictæ Vrbis Gubernatori, & alijs quibuſcumque Iudicibus, Tribunalibus, & Congregationibus Romanæ Curiæ, & Eccleſijs etiam Patriarchalibus, quoad præmiſſa conceſſis, & competentibus per ſeipſum, ſeu eius Auditorem, aut perſonam ab ipſo deputandam, vt præfertur, ſeu alias in quacumque inſtantia vſque ad finem audiendi, cognoſcendi, & ſine debito terminandas, ac etiam alibi introducendas, ſeu committendas, & reaſſumendas, Apoſtolica auctoritate tenore earumdem præſentium in perpetuum committimus, & demandamus, ipſumq; Cardinalem Iudicem pro tempore deputandum, vt præfertur in dictis cauſis motis, & pendentibus, & in futurum mouendis, in Iudicem ordinarium, cum facultate illas quibuſuis Iuris peritis committendi, & ſubdelegandi, ſeu in illis Iudi- Facultas ſubdelegandi cauſas.

ces

ces deputandi, illiſq́; ſuas facultates quoad cauſas, in quibus illos deputauerit communicandi, & concedendi, eaſdemq́; cauſas in quacumque inſtantia vſque ad finem per ſeipſum, vel Auditorem, aut perſonam huiuſmodi, ſeu alios ſubdelegandos, vel deputandos, huiuſmodi cognoſcendi, decidendi, & terminandi, ac etiam cum poteſtate citandi, & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios quoſcumque, tam in Romana Curia, quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi etiam ſummariè de non tuto acceſſu, eiſdemq́; ac prædictus, & quibuſcumque alijs eiuſdem Vrbis Curiarum, ſeu Tribunalium Iudicibus, & Congregationibus, ac perſonis tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, quibus, ac quoties opus fuerit, etiam ſub ſententijs, cenſuris, & Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniarijs pœnis, prout ſibi videbitur inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad declarationem recurſus, cauſarum & pœnarum huiuſmodi, illarumq́; aggrauationes, & reaggrauationes, & aliàs prout tibi meliùs expedire videbitur, ſeu placuerit, ſeruata forma Concilij Tridentini procedendi, ſententiasq́; ſeu mandata per eum pro tempore latas, ſeu relaxata debitæ executioni demandandi, ſeu demandari faciendi contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis quouis prætextu non parentes per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna Iuris, & Facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, auxilijq́; Brachij ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, inuocandi, aliaq́; omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea, quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi: ac cum alijs facultatibus ad id quomodolibet neceſſarijs, ſeu etiam opportunis, auctoritate, & tenore, prædictis, ſimiliter perpetuò facimus, conſtituimus, & deputamus, ipſiq́; plenam, liberam, ac amplam ſuper præmiſſis facultatem & auctoritatem etiam concedimus & impartimur. Decernentes, quòd à Cardinalis in Iudicem pro tempore deputandi huiuſmodi, eiusq́; ſubdelegatorum, & Deputatorum ſententijs, mandatis, & ordinationibus, & decretis, nullatenus ſuſpenſiuè appellari, reclamari, & de nullitate dici, ſiue quomodolibet, & aduerſus illa ad effectum impediendi executionem, aliquod remedium intentari poſſit. Deuolutiuè autem ſemel tantùm liceat recurſum ab eadem Congregatione petere coram alio Iudice, ab eodem Cardinale nominando, deputando, & ab eo approbando. Secundò autem, vel al-

teri

teri ius ſublatus ſit omnis , & quicumque recurſus , ac in integrum reſtitutio, ſed prædictæ duæ ſententiæ plenariam executionem obtineant , ac firmæ & illibatæ permaneant , ac ſi eſſent tres conformes, & contra illas nullitas aliqua , exceptis tribus ſubſtantialibus opponi nullo modo poſſit , ac in omnibus & ſingulis prædictis ad dictam Congregationem, vt præfertur,quomodolibet ſpectañ ſingulis diebus , & horis , præterquam in honorem Dei feriatis, procedat , ac notarium , ac actuarium per ipſam Congregationem,vt ſupra deputañ , & ab eius arbitrio, & nutu amouendum habeat,qui teneatur dare idoneam cautionem Cardinali in Iudicem deputando, vt præfertur, ac officialibus deputatis, vel procuratoribus præfatis in eius deputatione de reſtitueñ abſque aliqua pecuniarum ſolutione , & fraude , ac omni mora , & dilatione , ac excuſatione, & oppoſitione poſtpoſitis , quoties ab eiſdem Officialibus Deputatis, ſeu Procuratoribus, ab huiuſmodi Notariatus officio amotus fuerit , omnes & ſingulas ſcripturas ad dictam Congregationem , vt præfertur , quomodolibet ſpectantes , ſeu eam concernentes , & penes eum exiſtentes , per eoſdem Officiales , Deputatos, ſeu Procuratores facto illarum Inuentario in Archiuio Congregationis, vel ſaltem Notario ſucceſſori , vt ſupra deputañ. conſignañ . Quodq; citationes in cauſis prædictis etiam pro Capitolij , ſeu alios quoſcumque cuiuſuis Curiæ, etiam ipſius Congregationis mandatarios, fieri poſſint , ac quicumque executores Curiarum , ſeu Tribunalium dictæ Vrbis, atque etiam ipſius Congregationis omnes & ſingulas ſententias, decreta, & mandata pro tempore exiſtentis Cardinalis in Iudicem deputañ huiuſmodi,eiuſq; Deputatorum in cauſis prædictis latas , facta , & relaxata exequi , & effectu aliter executioni demandari poſſint , & debeant A. C . inſuper Congregationem prædictam , eiuſq; Officiales,Deputatos, ſeu Procuratores,ac Miniſtros, ex nunc & deinceps , occaſione præmiſſorum principaliter,ſeu ſecundariò alibi quàm coram Card. in Iudicem pro tempore deputañ huiuſmodi , ſeu ab eo deputandis conueniri , aut ad alios conuenieñ conſtringi non poſſe, ac proceſſus,ſententias,mandata, & decreta per quoſuis alios quam ordinarios , quàm etiam ſpecialiter deputatos , & delegatos Iudices quauis auctoritate fungentes in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos in quacunque inſtantia latas , facta , & relaxata cum inde ſequutis , quibuſcumque nulla irrita,&inania, nulliuſq; roboris,vel momenti fore præſentes quoque litteras , & in eis contenta quæcumque , ſub quibuſuis ſimilium , vel diſſimilium gratiarum reuocationi-

C j bus ,

bus, ſuſpenſionibus, moderationibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, vel eius etiam de latere Legatos, & per Cancellariæ Apoſtolicæ litteras pro tempore factas etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vrbe, ſeu cuiuſuis alterius pij etiam regularis loci emanatis, ſeu emanandis nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis penitus, & omninò excipi, & quoties illa reuocari, ſuſpendi, limitari, aut illis derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum, & robur reſtituta, & de nouo etiam ſub quacumque poſteriori data per Officiales, Deputatos, ſeu Procuratores dictæ Congregationis quandocumque eligendi conceſſa eſſe, & cenſeri debere, nec illis per quaſcunque clauſulas generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritañ decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe contineñ denegari poſſe, & ſi illis vllo vnquam tempore, ex aliqua etiam quantumuis neceſſaria, & vrgenti cauſa derogari contigerit, niſi tenor earumdem præſentium de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſertus, & huiuſmodi derogatio Conciſtorialiter facta, & per trinas litteras eundem tenorem continentes tribus ſimiliter diſtinctis vicibus Officialibus, Deputatis, ſeu Procuratoribus, & alijs miniſtris Congregationis huiuſmodi legitimè intimata fuerit, eorumq; ad id expreſſus accedat aſſenſus derogationes ipſas nemini ſuffragari, & ſic per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & earum cuilibet quauis alias iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari. Inhibentes expreſsè moderno, & pro tempore exiſtenti Signaturæ Iuſtitiæ Præfecto, aut aliàs pro tempore Iuſtitiæ Signaturam habenti, necnon moderno Regenti Cancellariæ, & qui pro tempore erit, necnon omnibus, & ſingulis Referendarijs etiam nunc pro tempore exiſtentibus, ne de cætero ad inſtantiam & requiſitionem cuiuſcumque ſupplicationem, ſeu commiſſionem aliquam receperit, referendariare, ſeu proponere Præfecto Signaturæ Iuſtitiæ audeant, vel præſumant, & ſimiliter Signaturam facienti, ne ſiue auocatoriam, ſiue ſimplicis Iuſtitiæ, ſiue appellatoriam, & quamcumque aliam Commiſſionem, neque in initio, neque in medio litis ſignet, ac ſignatæ nullius ſint roboris, vel momenti, nullamq; tribuant iuriſdictionem, neque

ipſe

ipſe Iudex, cui tales cauſæ commiſſæ fuerint, audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere, ac irritum & inane quicquid ſcienter, vel ignoranter ſecus factum fuerit ipſo iure decernimus, ſalua ſemper commiſſione noſtra, vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, manu ſignata, ſine qua omne reſcriptum cenſeatur, & ſit inualidum, & à noſtra voluntate alienum, & nihilominus Cardinalis in Iudicem, vt præfertur deputari, ſeu ab eo deputati huiuſmodi abſque vitio attentatorum, procedere poſſint & valeant: & inſuper ne propter difficultatem habendi, ſeu recuperandi Inſtrumenta publica ſuper Teſtamentis, ſeu alijs quibuſcumque diſpoſitionibus piorum Chriſtifidelium per Notarios, ac Tabelliones confecta & ſtipulata, in quibus per ipſos Chriſtifideles in eiuſdem Congregationis, ſeu operum piorum per eam exerceri ſolitorum fauorem, legata facta, illiſque bona relicta, & erogata fuerunt, & de quibus interdum ab Officialibus, Deputatis, ſeu Procuratoribus prædictis notitia ſaltem facile haberi non poteſt, ipſa Congregatio in temporalibus damna, & detrimenta patiatur, nunc & pro tempore exiſtenti Cardinali in Iudicem deputando huiuſmodi, vt omnes, & ſingulas etiam quorumcumque Tribunalium Curiarum dictæ Vrbis, ac in Archiuio Romanæ Curiæ, & Capitolij deſcriptos Notarios, & Tabelliones publicos etiam quantumcumque priuilegiatos, & exemptos, qui deinceps perpetuus futuris temporibus Inſtrumenta quæcumque publica ſuper Teſtamentis, Codicillis, & quibuſuis tam inter viuos, quam cauſa mortis diſpoſitionibus, pro quibuſcumque vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus conficient, aut ſtipulabunt, vel de quibus ipſi Notarij & Tabelliones pro tempore rogati fuerunt, in quibus pia legata etiam iure donationis perpetuæ, vel fideicommiſſi, ſeu cuiuſuis alterius diſpoſitionis, aut quocumque alio titulo eidem Congregationi, etiam reſpectu piorum operum ab ea exerceri ſolitorum per Chriſtifideles de eorum bonis, in toto vel in parte hactenus quomodolibet facta fuerunt, & in futurum fient, ſeu quæ vtilitatem, vel commodum, aut augumentum bonorum, iurium, & emolumentorum Congregationis, illiusvè piorum operum tam coniunctim, quàm diuiſim, & tam actiuè quàm paſſiuè, & tam ſecundariò quàm principaliter concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, aut in Congregationis, vel piorum operum huiuſmodi vtilitatem, ceſſerint ad dictorum Inſtrumentorum, vel illorum particulæ intereſſe dictæ Congregationis, vt præfertur concernen copiam authenticam,

ac fide dignam in forma Iuris valida, & probanti, ſeu Inſtrumentum publicum, poſtquam ad id per ipſam Congregationem, illiusuè Officiales, Deputatos, ſeu Procuratores, vel Miniſtros eorum, eodem Cardinale, vt præfertur, deputando, requiſiti fuerint, & poſt Teſtatorum obitum ſub pœna falſi, & excommunicationis, alijsq; ſententijs, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniarijs pœnis per contrafacientes eo ipſo incurreñ, ac arbitrio eiuſdem Cardinalis in Iudicem, vt præfertur deputañ, infligendis, & applicandis, gratis tamen, & nulla per eoſdem Officiales, Deputatos, ſeu Procuratores, aut Miniſtros ipſis Notarijs, & Tabellionibus, etiam pro ſcriptura ipſius copiæ authenticæ, ſeu Inſtrumenti publici ſoluta mercede, iuxta alias noſtras deſuper expeditas omni mora & dilatione, ac ſubterfugio ceſſante, ac quacumque appellatione, ſeu recurſu poſtpoſitis, realiter, ac cum effectu, & ſine aliqua fraude dandum, tradendum, & conſignandum, auctoritate noſtra moneat, omnibusq; ſibi viſis remedijs, vſque ad omnimodam paritionem cogat, & compellat, monereque, cogere, & compellere liberè, & licitè poſſit, & valeat, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, non obſtañ præmiſſis, ac noſtra de Iure quæſito non tollendo, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duobus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Fabricæ prædictæ, ac Perſonarum, Vniuerſitatum, Congregationum, Collegiorum, Monaſteriorum, & Hoſpitalium huiuſmodi, & aliorum quorumcumque piorum locorum, & ordinum etiam exemptorum, & qualitercumque priuilegiatorum, etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, conſeruatorijs, exemptionibus, & litteris Apoſtolicis, illis, vel dilectis filijs, Populo Romano, Iudicibus, Notarijs, Tabellionibus, Curijs, ſeu Tribunalibus, eorumq; perſonis, & Collegijs quibuſcumque, ac Romanæ Curiæ Officialibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, necnon confirmationibus nouiter factis, ac motu, & ſcientia paribus approbatis, etiam ſi in eis caueatur expreſſè, quòd cauſæ huiuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolij, Cameræ noſtræ Auditores, dictæ Cameræ Vicarij, Burgi, & alio-

rum

rum eiuſdem Vrbis Tribunalium quorumcumque, & quantumuis priuilegiatorum, pertineant, & ab illis reaſſumi debeant, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet diſponeñ. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenore, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum expreſſi, ac forma in illis tradita obſeruata inſecti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi perſonis, Vniuerſitatibus, Religionibus, quocumque nomine nuncupentur, Societatibus, etiam Ieſu, Congregationibus, Collegijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, alijſq; locis pijs prædictis, eorumq; Adminiſtratoribus, Officialibus, ſeu Miniſtris, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut etiam vltra certa loca, Curias, & Tribunalia ab iudicium trahi non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de Indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet alijs priuilegijs, indultis, ac litteris Apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus quorumcumque tenore exiſtant, perque præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta iuriſdictionis pro tempore exiſtentis Cardinalis in Iudicem deputañ huiuſmodi exercitium, ſeu executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quosque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum habenda ſit in præſentibus litteris mentio ſpecialis. Volumus autem quòd earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici, ſiue ipſius Congregationis Secretarij manu ſubſcriptis, & ſigillo eiuſdem Congregationis, vel Cardinalis in Iudicem deputandi huiuſmodi pro tempore exiſtentis obſignatis, eadem prorſus in iudicio, & extra illud fides vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Iunij 1623. Pontificatus Noſtri Anno III.

S. Card. S. Suſannæ.

Inſtitutio noua, & Reformatio Collegij Pontificij Viennenſis in Germania.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam diuinæ bonitati viſum eſt, humilitatem noſtram turbulentiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen vocare, ex eo tempore nos, eiuſdem adiuuante gratia, ea cogitare, & agere non deſtitimus, quæ, ſicut officij noſtri ratio poſtulat, ad diuinum vbique cultum propagandum, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam & augendam, animarumq; ſalutem procurandam maximè cognouimus pertinere. In primis verò animo recolentes ampliſſimam Germaniæ Prouinciam, quæ ſuperioribus ſeculis inter fortiſſimæ ipſius Nationis laudes atque virtutes, tanto ſinceræ Fidei, & Chriſtianæ Religionis cultu eminere ſolebat, vt reliquis Chriſtianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori eſſet, nunc tot, tantisq; in ea inſtinctu Satanæ excitatis de Religione diſſidijs ita miſerandum in modum afflictam, & deformatam eſſe, vt nemo vel mediocri pietate præditus, ſine lacrymis tam grauem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat; eam præcipuè curam ſuſcepimus, vt quibuſuis poſſimus modis, nullis laboribus nullisvè ſumptibus parcentes, apta ſanandis illius vulneribus remedia adhibeamus, ac prouidè conſiderantes fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrũ, optimo quidem conſilio, Collegium in Ciuitate Viennen. Auſtriæ Quadraginta alendorum, ac Latinis litteris, Logica, Phyſica, alijſque liberalibus diſciplinis, ac ſacra demum Theologia, necnon pijs, & Chriſtiano nomine dignis moribus inſtituendorum Germanicæ nationis puerorum cauſa eidem Collegio mille trecentorum octuaginta ſcutorum monetæ ſumma aſſignata, quàm de præſenti Camera noſtra Apoſtolica ſoluit, alias Apoſtolica auctoritate erexiſſe, & inſtituiſſe, vt ij non per ſe ſolùm boni, doctiq; euaderent, ſed habendis concionibus, & diſputationibus, refellendis hæreſibus, Fideiq; orthodoxæ veritati dilucidandæ, ac præterea exercendæ animarum curæ, alijsq; pijs, & ſanctis operibus

Greg. XIII. primus inſtitutor & fundator huius Collegij.

bus apti, & idonei eſſent, & quam maximum in Eccleſia Dei fructum ex ſe proferrent, tamen id eius cœptum, atque conatum, tum propter obitum ipſius, tum ob varias, quæ poſtea ſequutæ ſunt, temporum & rerum difficultates, parum proceſſiſſe, immò nec litteras Apoſtolicas ſuper huiuſmodi erectione, & inſtitutione expeditas eſſe veriſimiliter credendum ſit, cùm factis plurimis tam in Romana Curia, quàm in dicta Ciuitate Vienneñ diligentijs, literæ Apoſtolicæ ſuper huiuſmodi erectione non potuerint reperiri expeditæ. Nos ad opus hoc propagationi Fidei vtiliſſimum, præſertim hoc temqore, quo Germania ſumma operariorum Catholicorum inopia laborat, totis viribus, prout ex ſuſceptæ ſeruitutis officio tenemur, promouendum, animum & mentem noſtram conuertentes, ac cœptum & conatum dicti Gregorij prædeceſſoris renouare intendentes, maturo deſuper cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide præfectis habito conſilio, Motu proprio, non ad alicuius nobis deſuper oblatæ petitiónis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraq; liberalitate, noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæq; ipſius Eccleſiæ incrementum, præcipuamq; Germanicæ nationis ſalutem & commodum, in dicta Ciuitate Vienneñ rurſus Collegium ipſum Vienneñſe appellandum, in quo poſthac non minus quàm viginti Alumni, videlicet ex ambabus Auſtrijs quatuordecim, ſeptem ſcilicet ex Suderiori, & ſeptem ex Inferiori Auſtria, duo ex Valleſia, duo ex Rhetia, & duo Bernenſes colligendi, & ſi contigerit ex Valleſia, Rhetia, & Bernia Alumnos haberi non poſſe, tunc & eo caſu, poſt factas à Rectore dicti Collegii, & demum à dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtente noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum modernum, & pro tempore etiam exiſtentem Romanorum Regem in Imperatorem electum commorante diligentias, Alumni Auſtriaci in locum eorum aſſumi debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de nouo ex integro perpetuò erigimus, & inſtituimus, illiq; ſic erecto, & inſtituto pro congrua eius dote, ac Alumnorum præfatorum, & illis inſeruientium perſonarum ſuſtentatione, onerumq; illis incumbentium ſupportatione, redditus annuos mille trecentorum octoginta ſcutorum monetæ huiuſmodi, ex Cameræ Apoſtolicæ pecunijs quotannis ſumendos, & numerandos, diſtributa in trimeſtres ſingulos pro rata ſolutione, quoad de totidem redditùum ſumma in bonis ſtabilibus

Reformatio eiuſdẽ Collegij.

Numerus Alumnorũ.

Prouinciæ ex quibus Alumni ſunt ſumendi.

Pẽſio Cam. Apoſt. aſſignata huic Collegio.

bilibus

bilibus eidem Collegio à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus fuerit prouiſum, eiſdem auctoritate & tenore concedimus, & attribuimus. Cæterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Ieſu in hoc educandorum, inſtituendorumq; Alumnorum munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs huiuſmodi Collegijs, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit, atque perſpecta, idem Collegium, atque Scholares illius Presbyterorum, ſicut adhuc fuit, regimini, inſtitutioni, doctrinæ, atque prudentiæ eadem auctoritate etiam perpetuò ſubijcimus, atque ſubmittimus. Præterea, vt eiuſdem Collegij conſeruationi, bonoq; tam in his quæ ad ſcholarium inſtitutionem, & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaq; huiuſmodi neceſſaria pertinent, oportuniùs conſulatur, & promptum eis, paratumq; auxilium ſit, S. R. E. Cardinales Sacræ Congregationi de Propaganda Fide Præfectos præfatos, nunc, & pro tempore exiſtentes eiuſdem Collegij Protectores, & Defenſores, qui in Viceprotectorem illius Venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Viennenſem nunc, & pro tempore exiſtentem, ita tamen vt in grauioribus nihil præcipere, aut mandare, vel facere valeat ſine conſilio, & conſenſu Nuncij præfati, quibus aliquid eorum, quæ vel in hac fundatione, vel in regulis à Congregatione præfata approbatis continentur, immutare minime licebit abſque eiuſdem Congregationis, vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, expreſſa licentia, deputare poſſint, & valeant, eadem auctoritate conſtituimus, atque creamus; illiſq; ac Viceprotectori præfato pro ſalubri illius conſeruatione, Alumnorum bonorum, & rerum, ac Iurium temporalium; & ſpiritualium eiuſdem plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem Oeconomos, Aduocatos, & Procuratores in eo deputandi, & amouendi, ac alios in eorum locum ſubſtituendi, differentias, lites, & controuerſias inter quaſcumque perſonas tam Alumnorum, quàm Miniſtrantium Clericorum, & Laicorum, non tamen Presbyterorum ipſius Societatis exortas, ſummariè, ſimpliciter, & de plano ſine figura, aut ſtrepitu Iudicij, appellatione quacumque remota; decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, Statutaq; & Ordinationes, diſciplinam domeſticam, & ſtudia Alumnorum præfatorum concernentia, æqua tamen & honeſta, ſacriſq; Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non repugnantia, faciendi & condendi, eaq; cum opus fuerit, reuocandi, immutandi, & corrigendi, aliaq; de nouo condendi: quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta

Protectores deputantur Cardd. Cōgreg. de Propag. Fide.

Et Viceprotector Epiſcopus Viēnenſis.

Facultas Protectorum.

recta fuerint, perinde habeantur, & obſeruentur, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, prout illi ab omnibus dicti Collegij Alumnis ita haberi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, plenam & liberam auctoritatem, & tenorem præmiſſis concedimus facultatem. Quod autem ad dictorum Alumnorum admiſſionis modum, & formam deinceps habendam attinet. Rectorem præfatum dicti Collegij pro tempore exiſtentem, librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac patriæ, & Parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio, & ex eo dimittentur: ex dictoq; libro ſingulis annis catalogum eorum, qui recepti, & qui dimiſſi fuerint, cum die, menſeq; ingreſſus, & egreſſus illorum Nuncio præfato mittere, vt ipſe Nuncius illum præfatæ de Propaganda Fide Congregationi tranſmittere poſſit. Quod ſi ex aliqua peculiari cauſa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Cathalogo exprimi; inſigniores verò Alũnorum præfatorum actiones in eodem libro adnotare, easque ſuo tempore eidem Nuncio ſignificare, vt pariter de illis eandem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, per eandem Congregationem deferri volumus, vt cum occaſio tulerit, præmio cohoneſtentur, ac denique alium librum, in quo dati, & accepti rationes diligentiſſimè, & clariſſimè deſcriptæ ſint, illæq; ſingulis annis ad nunus eidem Nuncio reddantur, & in eius manibus relinquatur folium, vulgò Bilancium nuncupatum, in quo prouiſio Collegij, & alia, quæ ipſius Collegij, vel Alumnorum ratione acceperit, & ea, quæ illo Anno pro ipſius Collegij, & Alumnorum ſuſtentatione impenderit, notata exiſtant, vt ſimiliter ab eodem Nuncio ad Vrbem mitti poſſit, etiam habere. Siquid autem de tota penſionis Pontificiæ ſumma redditis rationibus ſupererit; id, vel in alijs Alumnis euocandis, vel in neceſſarijs libris emendis, vel in veſtiendis Alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in alijs Collegij neceſſitatibus arbitrio Nuncij, & Epiſcopi Viennẽ præfatorum impendi debere eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus. Vt verò huius Collegij Alumni poſt longos ſtudiorum aut cœptorum, vel conſummatorum labores, expeditiores, & alacriores ad ſuccurrendum Patriæ neceſſitatibus reddantur, eiſdem Alumnis, vt cum ſolis litteris teſtimonialibus dicti Collegij Rectoris pro tempore exiſtentis Epiſcopo Viennẽ offerendis, ab eoq; ſubſcribendis, ac eius ſigillo muniendis, niſi fortè Alumni

Alumni quo modo recipiendi, & dimittendi.

De rationibus reddendis per Rectorem Collegij.

Priuilegia Alumnorũ circa ordinationes.

præfati ſuos Ordinarios habuerint à quibuſuis dimiſſorias à Concilio Tridentino ordinatas habere poſſint, ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines ſine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo, etiam extra tempora ad id à Iure ſtatuta, & intra annum, anniq; curriculo non expectato, minusq; ſeruatis ad id à Concilio Tridentino deſignatis interſtitijs (dummodo ad id aliàs repe. riantur idonei) promoueri, & poſtquam promoti fuerint in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac etiam tam ipſi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, vt Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ etiam die Paſchatis, & Extremæ Vnctionis ſacramenta à Confeſſario, aut alio Sacerdote ipſius Collegij à dicto Rectore conſtituendo ſuſcipere liberè, & licitè valeant, auctoritate & ten. præmiſſis de ſpeciali gratia indulgemus. Verùm, vt quantum fieri poterit, dictorum Alumnorum paupertati, & neceſſitati ſuccurratur, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios antedictarum Prouinciarum beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatores, & Collatrices ſeriò requirimus, atque monemus, vt in illis conferendis, & pręſertim ſi beneficia huiuſmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos alijs omnibus cæteris paribus præferant; Nuncios quoque Sedis Apoſtolicæ, aliosq; Prælatos ſupradictarum Prouinciarum, in quorum diœceſi Alumni præfati extiterint, ſimiliter monemus, & hortamur, vt in occurrentibus beneficiorum huiuſmodi, & præſertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, prouiſio, vel diſpoſitio quoquo modo ad Sedem Apoſtolicam pertinuerit, de illis Alũnis antedictis pauperioribus, præcipueq; noſtra Pontificia gratia dignis Nos, Succeſſoresq; noſtros Romanos Pontifices pro tempore ſimiliter exiſtentes certiores faciant, vt munificentiam noſtram erga illos, prout tempus, vel occaſio tulerit, exercere poſſimus. Et generaliter in Dignitatibus, Perſonatibus, Canonicatibus, & præbendis parochialibus, Eccleſijs, & alijs beneficijs Eccleſiaſticis per collationem, vel electionem in Alumnorum Patrijs prouidendis alijs omnibus cæteris paribus tàm in Romana Curia, quàm in Eccleſijs ſuis originalibus præferri volumus, & decernimus, atque inſuper eiſdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus omnia, & quæcũmque Priuilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus Studium generale Almæ Vrbis noſtræ, & illius Rectores, Doctoresq;, & in eo legentes, quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum,

Circa prelationem in beneficijs.

Priuilegia Studiorum generaliũ.

turum, quibusq; Collegium, & Scholares, ac Rectores, & Gubernatores huiuſmodi non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter vti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia eiſdem auctoritate, & tenore communicamus. Vt verò temporalibus commodis ſpiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium deuotio, & merita creſcere magis, & augeri poſſint; de eiuſdem omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Scholaribus, Rectoribus, & Miniſtris, qui in idem Collegium recepti fuerint in ipſo ingreſſu, & deinde in exitu ſiquidem confeſſi, & contriti ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, atque etiam ſi in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Poſtremò quaſcumque Regulas, & Conſtitutiones ad eiuſdem Collegij, illiusq; perſonarum rerum, & bonorum ſpiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Alumnorum præfatorum receptionem, admiſſionem, victum, amictum, inſtructionem, diſciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta Sacra de Propaganda Fide Congregatione die nona Nouembris milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti edita, etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illasq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus. Decernentes, præmiſſa omnia & ſingula, ac præſentes noſtras litteras nullo vmquam tempore ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius, vel controuerſiam vocari, ſeu ad terminos Iuris reduci poſſe, nec quemquam ad eaſdem præſentes in Camera Apoſtolica, iuxta Conſtitutionem piæ memoriæ Pij Papæ IIII. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut aliàs quandocumque præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illa inualida eſſe, ſed omni modo valere, ac ſi Conſtitutio præfata, & alia contraria minimè emanaſſent. Sicq; per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes Clericos, eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, Vicecamerarium, & Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac alios dictæ Romanæ

Indulgētia.

Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili fratri Epiſcopo Viennen̄, & Nuncio præfato, necnon dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori Motu pari per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes noſtràs litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegij huiuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac Rectorem & Alumnos huiuſmodi illis pacificè frui, gaudere; non permittentes eos deſuper per quoſcumque indebitè moleſtari: Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma eiuſdem ſacri Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis: Non obſtantibus noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, ac præfata Gregorij prædeceſſoris huiuſmodi quatenus opus ſit, & quatenus reperiretur, necnon quibuſuis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Statutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorumq; Rectoribus, & perſonis etiam ſub quibuſuis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam Motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſiò habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præ-

ſen-

Iudicũ deputatio.

Clauſulæ derogatoriæ.

ſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi quibuſuis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem vt præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegij, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio & extra habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, attributionis, ſubiectionis, conſtitutionis, creationis, ſtatuti, ordinationis, indulti, requiſitionis, monitionum, exhortationis, communicationis, coniunctionis, conceſſionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Kal. Iunij, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

E. DAT.

A. Rondaninus.

Viſa de Curia A. Hurandus.

A. Vetrollinus.

Noua

Noua Inſtitutio, & Reformatio Collegij Pontificij Pragenſis pro Scholaribus Germanicæ Nationis.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam diuinæ bonitati viſum eſt, humilitatem noſtram, turbulentiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen vocare, ex eo tempore Nos, eiuſdem adiuuante gratia, ea potiſſimum, ſicut officij noſtri ratio poſtulat, cogitare, & agere non deſtitimus, quæ ad diuinum vbique cultum propagandum, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam & augendam, animarumq; ſalutem procurãdam maximè cognouimus pertinere. In primis verò animo recolẽtes ampliſſimum Boemiæ Regnum, quod ſuperioribus ſęculis inter cæteras Germanicæ Nationis laudes atque virtutes, tanto ſinceræ Fidei, & Chriſtianæ Religionis cultu eminere ſolebat, vt reliquis Chriſtianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori eſſet, nunc tot, tantisq; in eo inſtinctu Satanæ excitatis de Religione diſſidijs, ita miſerandum in modum afflictum, & deformatum eſſe, vt nemo vel mediocri pietate præditus, ſine lacrymis tam grauem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat; curam ſuſcepimus, vt quibuſuis poſſimus modis, nullis laboribus, nullisvè ſumptibus parcentes, apta ſanandis illius vulneribus remedia adhibeamus: ac prouidè conſiderantes fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum, optimo quidem conſilio, Collegium in Ciuitate Prageñ dicti Regni Metropoli Quadraginta alendorum, ac Latinis litteris, Logica, Phyſica, alijſq; liberalibus diſciplinis, ac ſacra demum Theologia, necnõ pijs, & Chriſtiano nomine dignis moribus inſtituendorum Germanicæ nationis puerorum cauſa eidem Collegio mille quingentorum triginta Talerorum Imperialium ſumma aſſignata, quàm de præſenti Camera noſtra Apoſtolica perſoluit, alias Apoſtolica auctoritate erexiſſe, & inſtituiſſe, vt ij non per ſe ſolùm boni, doctiq; euaderent, ſed habendis concionibus, ac diſputationibus, refellendis hæreſibus, Fideiq; orthodoxæ veritati dilucidandæ, ac

Colleg. Pontif. Pragen. fũdatio pro Alumnis 40.

Prouiſio annua talerorum Imper. 1530. aſſignatur.

præ-

præterea exercendæ animarum curæ, alijsq; pijs, & ſanctis operibus apti, & idonei eſſent, & quam maximum in Eccleſia Dei fructum ex ſe proferrent, id tamen eius cœptum, atque conatum, tum propter obitum ipſius, tum ob varias, quæ poſtea ſequutæ ſunt, temporum & rerum difficultates, parum proceſſiſſe, immò nec litteras Apoſtolicas ſuper huiuſmodi erectione, & inſtitutione expeditas eſſe veriſimiliter credendum ſit, cùm factis plurimis tam in Romana Curia, quàm in dicta Ciuitate Prageñ diligentijs, tales litteræ reperiri non potuerint. Nos ad opus hoc propagationi Fidei vtiliſſimum, præſertim hoc tempore, quo Regnum Boemiæ ſumma operariorum Catholicorum inopia laborat, totis viribus, prout ex ſuſceptæ ſeruitutis officio tenemur, promouendum, animum & mentem noſtram conuertentes, ac cœptum & conatum dicti Gregorij prædeceſſoris, quantum in nobis eſt, renouare intendentes, maturo deſuper cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide præfectis habito conſilio, Motu proprio, non ad alicuius nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraq; liberalitate, noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæq; ipſius Eccleſiæ incrementum, præcipuamq; Germanicæ nationis ſalutem & commodum, in dicta Ciuitate Prageñ rurſus Collegium præfatum Pragenſe appellandum, in quo poſthac non minus quàm viginti Alumni, videlicet ex Boemia octo, ex Sileſia tres, ex Luſatia duo, ex vtroque Palatinatu etiam duo, ex Brandeburgica Marchia ſimiliter duo, & ex ambabus Saxonijs alij pariter duo, ex Haſſia verò vnus colligendi, dictis ſcientijs, & diſciplinis, necnon ſacris Canonibus inſtitui, atque erudiri; & ſi contigerit ex Sileſia, Luſatia, vtroque Palatinatu, ex Brandeburgica, Haſſia, & vtraque Saxonia Alumnos haberi non poſſe, tunc & eo caſu, poſt factas à Rectore dicti Collegij, & demum à dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtente noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum modernum, & pro tempore etiam exiſtentem Romanorum Regem in Imperatorem electum commorante diligentias, Alumni Boemi in locum eorum aſſumi debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de nouo ex integro perpetuò erigimus, & inſtituimus, illiq; ſic erecto, & inſtituto pro congrua eius dote, ac Alumnorum præfatorum, & illis inſeruientium perſonarum ſuſtentatione, onerumq; illis incumbentium ſupportatione, redditus

Fundatio prima non habuit effectũ, & quare.

Collegium Pragenſe innouatur.

Alumnorũ Numerus.

Prouinciæ.

Dos talerorum 1530. annuorum aſſignatur.

tus annuos mille quingentorum triginta Talerorum huiuſmodi, ex Cameræ Apoſtolicæ pecunijs quotannis ſumendos, & numerandos, diſtributa in trimeſtres ſingulos pro rata ſolutione, quoad de totidem redditum ſumma in bonis ſtabilibus eidem Collegio à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris fuerit prouiſum, eiſdem auctoritate & tenore concedimus, & attribuimus. Cæterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Ieſu in hoc educandorum, inſtituendorumq; Adoleſcentium munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs huiuſmodi Collegijs, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit, atque perſpecta, idem Collegium, atque Scholares illius, ipſorumq́e, ſicut adhuc fuit, regimini, inſtitutioni, doctrinæ, atque prudentiæ eadem auctoritate etiam perpetuò ſubijcimus, atque ſubmittimus. Præterea, vt eiuſdem Collegij conſeruationi, bonoq; regimini, tam in his quæ ad ſcholarium inſtitutionem, & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaq; huiuſmodi neceſſaria pertinent, oportuniùs conſulatur, & promptum eis, paratumq; auxilium ſit, dictos S. R. E. Cardinales Sacræ Congregationi præfatæ Præfectos, nunc, & pro tempore exiſtentes eiuſdem Collegij Protectores, & Defenſores, qui in Viceprotectorem illius Venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Pragenſem ſimiliter nunc, & pro tempore exiſtentem, ita tamen vt in grauioribus nihil præcipere, aut mandare, vel facere valeat ſine conſilio, & conſenſu Nuncij præfati, quibus aliquid eorum, quæ vel in hac fundatione, vel in regulis à Congregatione præfata approbatis continentur, immutare minime licebit, abſque eiuſdem Congregationis, vel Romani Pontificis expreſſa licentia, deputare poſſint, & valeant, eadem auctoritate conſtituimus, atque creamus; illiſq; ac Viceprotectori præfato pro ſalubri illius conſeruatione, Alumnorum bonorum, & rerum, ac Iurium temporalium, & ſpiritualium eiuſdem Oeconomos, Aduocatos, Procuratores in eo deputandi, & amouendi, ac alios eorum loco ſubſtituendi, differentias, lites, & controuerſias inter quaſcumque perſonas tam Alumnorum, quàm Miniſtrantium Clericorum, & Laicorum, non tamen Presbyterorum ipſius Societatis exortas, ſummariè, ſimpliciter, & de plano ſine figura, aut ſtrepitu Iudicij, appellatione quacumque remota; decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, Statutaq; & Ordinationes, diſciplinam Scholaſticam, & ſtudia Alumnorum præfatorum concernentia, æqua tamen & honeſta, ſacriſq; Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non repugnantia, faciendi & condendi, eaq; cum opus fuerit,

Collegium Societ. Ieſu regimini ſubijcitur.

Protector Collegij, & Viceprotector.

Archiepiſc. Pragen. & Nuncius Apoſtolicus, quæ præcipere, aut facere poſſint.

Facultas Congregat. & Viceprotectoris Collegij.

rit, reuocandi, immutandi, & corrigendi, aliaq; de nouo condendi: quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint, perinde habeantur, & obſeruentur, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, prout illi ab omnibus dicti Collegij Alumnis ita haberi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, plenam & liberam auctoritatem, & tenore præmiſſis concedimus facultatem. Quod autem ad dictorum Alumnorum admiſſionis modum, & formam deinceps habendam attinet, Rectorem præfatum dicti Collegij pro tempore exiſtentem, librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac patriæ, & Parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio, & ex eo dimittentur: ex dictoq; libro ſingulis annis catalogum eorum, qui recepti, & qui dimiſſi fuerint, cum die, menſeq; ingreſſus, & egreſſus illorum Nuncio præfato mittere, vt ipſe Nuncius illum præfatæ de Propaganda Fide Congregationi tranſmittere poſſit. Quod ſi ex aliqua peculiari cauſa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Catalogo exprimi; inſigniores verò Alumnorum præfatorum actiones in eodem libro adnotare, eaſque ſuo tempore eidem Nuncio ſignificare vt pariter de illis eandem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, per eandem Congregationem deferri volumus, vt cum occaſio tulerit, præmio cohoneſtentur: ac denique alium librum, in quo dati, & accepti rationes diligentiſſimè, & clariſſimè deſcriptæ ſint, illæq; ſingulis annis ad minus eidem Nuncio reddantur, & in eius manibus relinquatur folium, vulgò Bilancium nuncupatum, in quo prouiſio Collegij, & alia, quæ ipſius Collegij, vel Alumnorum ratione acceperit, & ea, quæ illo Anno pro ipſius Collegij, & Alumnorum ſuſtentatione impenderit, notata exiſtant, vt ſimiliter ab eodem Nuncio ad Vrbem mitti poſſit, etiam habere. Siquid autem de tota penſionis Pontificiæ ſumma redditis rationibus ſupererit; id, vel in alijs Alumnis euocandis, vel in neceſſarijs libris emendis, vel in veſtiendis Alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in alijs Collegij neceſſitatibus arbitrio Nuncij, & Epiſcopi Viennen. præfatorum impendi debere eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus. Vt verò huius Collegij Alumni poſt longos ſtudiorum aut cœptorum, vel conſummatorum labores, expeditiores, & alacriores ad ſuccurrendum Patriæ neceſſitatibus reddantur, eiſdem Alumnis, vt cum ſolis litteris teſtimonialibus dicti Collegij

Nomina Alumnorũ notentur in libro, & catalogus fiat ſingulis annis.

Liber dati, & accepti.

Priuilegia Alumnorũ quoad ordines ſacros, & ſacramẽta.

Rectoris pro tempore exiſtentis Epiſcopo Viennen̄ offerendis, ab eoq; ſubſcribendis, ac eius ſigillo muniendis, niſi fortè Alumni præfati ſuos Ordinarios habuerint à quibuſuis dimiſſorias à Concilio Tridentino ordinatas habere poſſint, ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines ſine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo, etiam extra tempora ad id à Iure ſtatuta, & intra annum, anniq́, curriculo non expectato, minusq́; ſeruatis ad id à Concilio Tridentino deſignatis interſtitijs (dummodo ad id aliàs reperiantur idonei) promoueri, & poſtquam promoti fuerint in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac etiam tam ipſi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, vt Pœnitentiæ, & Eucharistiæ etiam die Paſchatis, & Extremæ Vnctionis ſacramenta à Confeſſario, aut alio Sacerdote ipſius Collegij à dicto Rectore conſtituendo ſuſcipere liberè, & licitè valeant, auctoritate & ten. præmiſſis de ſpeciali gratia indulgemus. Verùm, vt quantum fieri poterit, dictorum Alumnorum paupertati, & neceſſitati ſuccurratur, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios antedictarum Prouinciarum beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatores, & Collatrices ſeriò requirimus, atque monemus, vt in illis conferendis, & præſertim ſi beneficia huiuſmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos alijs omnibus, cæteris paribus, præferant; Nuncios quoque Sedis Apoſtolicæ, alioſq; Prælatos ſupradictarum Prouinciarum, in quorum diœceſi Alumni præfati extiterint, ſimiliter monemus, & hortamur, vt in occurrentibus beneficiorum huiuſmodi, & præſertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, prouiſio, vel diſpoſitio quoquo modo ad Sedem Apoſtolicam pertinuerit, de illis Alūnis antedictis pauperioribus, præcipueq́; noſtra Pontificia gratia dignis Nos, Succeſſoreſq; noſtros Romanos Pontifices pro tempore ſimiliter exiſtentes certiores faciant, vt munificentiam noſtram erga illos, prout tempus, vel occaſio tulerit, exercere poſſimus. Et generaliter in Dignitatibus, Perſonatibus, Canonicatibus, & præbendis parochialibus, Eccleſijs, & alijs beneficijs Eccleſiaſticis per collationem, vel. electionem in Alumnorum Patrijs prouidendis alijs omnibus, cæteris paribus, tàm in Romana Curia, quàm in Eccleſijs ſuis originalibus præferri volumus, & decernimus, atque inſuper eiſdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus omnia, & quæcumque Priuilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus Studium generale Almæ Vrbis noſtræ, & illius Rectores, Doctoreſq́; & in

Priuilegia Alumnorū quoad Beneficia Eccleſiaſtica.

Priuilegia Collegij.

& in eo legentes, quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quibuſq; Collegium, & Scholares, ac Rectores, & Gubernatores huiuſmodi non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter vti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia eiſdem auctoritate, & tenore communicamus. Vt verò temporalibus commodis ſpiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium deuotio, & merita creſcere magis, & augeri poſſint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Scholaribus, Rectoribus, & Miniſtris, qui in idem Collegium recepti fuerint in ipſo ingreſſu, & deinde in exitu, ſiquidem confeſſi, & contriti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, atque etiam ſi in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Poſtremò quaſcunque Regulas, & Conſtitutiones ad eiuſdem Collegij, illiusq; perſonarum, rerum, & bonorum ſpiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Alumnorum præfatorum receptionem, admiſſionem, victum, amictum, inſtructionem, diſciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta Sacra de Propaganda Fide Congregatione die nona Nouembris milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti edita, etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illasq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, ac præſentes nullo vnquam tempore ex quibuſuis cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocunque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius, vel controuerſiam vocari, ſeu ad terminos Iuris reduci poſſe, nec quemquam ad eaſdem præſentes in Camera Apoſtolica, iuxta Conſtitutionem piæ memoriæ Pij Papæ III I. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aliàs quandocumque præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas eſſe, ſed omni modo valere, ac ſi Conſtitutio præfata, & alia contraria minimè emanaſſent. Sicq; per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes Clericos, eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, Vicecamerarium, & Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac alios eiuſdem San-

Indulgentia plenaria in ingreſſu, exitu, & in articulo mortis.

Cõſtitutiones Collegij approbãtur.

ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,ſublata eis, & eorũ cuilibet quã-uis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate iudica-ri,& diffiniri deberet, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſu-per his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter con-tigerit attentari. Quocirca Venerabili fratri Archiepiſcopo Pra-geñ, & Nuncio Præfato, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori Motu pari mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præ-ſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quan-do opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegij huiuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſ-que efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabili-ter obſeruari, ac Rectorem & Alumnos huiuſmodi illis pacificè frui, gaudere; non permittentes eos deſuper per quoſcumque quo-modolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſlibet, & re-belles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iu-ris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo,ac cen-ſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma eiuſdem ſacri Concilij Triden-tini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis: Non obſtantibus noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, ac præfata Gregorij prædeceſſoris huiuſmodi, quatenus opus ſit, & quatenus reperiretur, ac quibuſuis alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorum-que Rectoribus, & perſonis etiam ſub quibuſuis verborum tenori-bus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogato-rijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritanti-bus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſſis,approbatis,& innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus pro eorum ſufficienti deroga-tione ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, nõ autem per clauſulas generales idem importantes men-tio,ſeu quæuis alia expreſſio habẽda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret,tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdẽ præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis

aliàs

aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè harum ſerie derogamus cõtrarijs quibuſcumque. Aut ſi quibuſuis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis,& ſigillo communi dicti Collegij,aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio & extra habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis,inſtitutionis,attributionis, ſubiectionis, ſubmiſſionis, conſtitutionis,creationis, ſtatuti, ordinationis, indulti, communicationis, conceſſionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Kal. Iunij, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

E. DAT.

A. Rondaninus.

Viſa de Curia A. Hurandus.

G. Montanus.

Noua

Noua Inſtitutio, & Reformatio Collegij Pontificij Fuldenſis pro Scholaribus Germanicæ Nationis.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam diuinæ bonitati viſum eſt, humilitatem noſtram turbulentiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen vocare, ex eo tempore Nos, eiuſdem adiuuante gratia, ea potiſſimum, ſicut officij noſtri ratio poſtulat, cogitare, & agere non deſtitimus, quæ ad diuinum vbique cultum propagandum, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam & augendam, animarumq; ſalutem procurãdam maximè cognouimus pertinere. In primis verò animo recolẽtes ampliſſimam Germaniæ Prouinciam, quæ ſuperioribus ſęculis inter fortiſſimæ ipſius Nationis laudes atque virtutes, tanto ſinceræ Fidei, & Chriſtianæ Religionis cultu eminere ſolebat, vt reliquis Chriſtianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori eſſet, nunc tot, tantisq; in eo inſtinctu Satanæ excitatis de Religione diſſidijs, ita miſerandum in modum afflictum, & deformatum eſſe, vt nemo vel mediocri pietate præditus, ſine lacrymis tam grauem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat; curam ſuſcepimus, vt quibuſuis poſſimus modis, nullis laboribus, nullisvè ſumptibus parcentes, apta ſanandis illius vulneribus remedia adhibeamus: ac prouidè conſiderantes fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum, optimo quidem conſilio, Collegium in oppido Ciuitate nuncupato Fulden nullius diœceſis prouinciæ Maguntiñ Quadraginta alendorum, ac Latinis litteris, Logica, Phyſica, alijſque liberalibus diſciplinis, ac ſacra demum Theologia, necnon pijs, & Chriſtiano nomine dignis moribus inſtituendorum Germanicæ Nationis puerorum cauſa, vt Hæreticorum, maximè Nobilium filij, à quibus pendent Pagi, Oppida, & ditiones in Germania, eſca liberalis menſæ illecti, Catholicè ibidem educarentur, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nomen contra Hæreticorum execrationes Antichriſtianas amabile fieret etiam ipſis hoſtibus Fidei iuratis, nulla obli-

Colleg. Fuldenſis erectio prima.

gatione requiſita, ſtipendia verò danda ijs, qui Alumni eſſe non poſſent ad facilius ibidem abſoluendum humaniora ſtudia, diſcendam Fidem Catholicam, & vt à Scholis Hæreticorum Germana Iuuentus abſtraheretur, in quibus huiuſmodi ſubſidia ex Monaſticis, & Eccleſiæ bonis tanquam illecebræ adoleſcentibus conferuntur, nulla etiam obligatione à ſtipendiarijs requiſita eidem Collegio mille, & octingentorum ſcutorum auri de Camera, mille & ducentorum videlicet pro Alumnatu, ſexcentorũ verò ſcutorum huiuſmodi ſumma pro ſtipēdijs aſſignata, quam de præſenti Camera noſtra Apoſtolica ſoluit aliàs Apoſtolica auctoritate erexiſſe, & inſtituiſſe, tamen id eius cœptum, atque conatum, tum propter obitum ipſius, tum ob varias, quæ poſtea ſequutæ ſunt, temporum & rerum difficultates, parum proceſſiſſe, immò nec litteras Apoſtolicas ſuper huiuſmodi erectione, & inſtitutione expeditas eſſe veriſimiliter credendum ſit, cùm factis plurimis tamen in Romana Curia, quàm in dicto Oppido Fulgeñ diligentijs, litteræ Apoſtolicæ ſuper huiuſmodi erectione, & inſtitutione non potuerint reperiri. Nos ad opus hoc propagationi Fidei vtiliſſimum, præſertim hoc tempore, quo Germania ſumma operariorum Catholicorum inopia laborat, totis viribus, prout ex ſuſceptæ ſeruitutis officio tenemur, promouendum, animum & mentem noſtram conuertentes, ac cœptum & conatum dicti Gregorij prædeceſſoris renouare intendentes, ac ſingulares perſonas Collegij huiuſmodi à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus à quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, maturo deſuper cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide Præfectis habitò conſilio, Motu proprio, non ad alicuius nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraq; liberalitate, noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæq; ipſius Eccleſiæ incrementum, præcipuamq; Germanicæ nationis ſalutem & commodum, in dicto Oppido Fuldeñ rurſus Collegium ipſum Fuldenſe appellandum, in quo licet ex tenore erectionis, & inſtitutionis Gregorij prædeceſſoris huiuſmodi Quadraginta Alumnorum numerus, ex quo tunc tempora erant optima, & minori ſumptu ibi mortalis hæc vita ſuſtentari poterat in eo manute-

Prouiſio ſeu torũ 1800. auri de Camera.

Collegium de nouo ſundatur.

nute-

nutenendus veniret; quia tamen nunc omnia in triplo, aut quadruplo ſunt pretio, nec vnquam tanta Annonæ vilitas, quanta ſuperiori ſæculo fuit, veriſimiliter reditura eſt xxx. Alumnorum numerus, non ex tota Germania tantùm, ſed vt hactenus conſueuit ex Septentrionalibus eius Prouincijs, videlicet Franconia, Haſſia, Buchonia, Saxonia, Miſnia, Turingia, Brunſuigia, Weſtphalia, Marca Brandeburgica, Ducatu Mecnemburg, Pomerania, Holſatia, & Archiepiſcopatu Bremeñ euocandorum, de cætero manuteneri debeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de nouo ex integro perpetuò erigimus, & inſtituimus, illiq; ſic erecto, & inſtituto pro congrua eius dote, ac Alumnorum prædictorum, & illis inſeruientium perſonarum ſuſtentatione, onerumq; illis incumbentium ſupportatione, redditus annuos mille & octingentorum ſcutorum aureorum huiuſmodi, ex Cameræ Apoſtolicæ pecunijs quotannis ſumendos, & numerandos, diſtributa in trimeſtres ſingulos pro rata ſolutione, quoad de totidem reddituum ſumma in bonis ſtabilibus eidem Collegio à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, fuerit prouiſum, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, & attribuimus. Ac ex prædictis triginta Alumnis, quindecim obligandos ad præſtandum iuramentum, iuxta formulam ab eadem Congregatione Alumnis Pontificiorum Collegiorum præſcriptam. Reliquos verò quindecim Nobilibus & Illuſtribus Parentibus, etiam Hæreticis ortos, dummodo ipſi ſint Catholici, vel quàm primùm fiant, ab ea obligatione à Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio nunc, & pro tempore in illis partibus reſidente; cui per præſentes ex nunc, prout ex tunc, plenariam & omnimodam concedimus facultatem, & auctoritatem pro eius prudentia; communicato tamen priùs conſilio ſuper vniuſcuiuſque diſpenſatione, & re accuratè diſcuſſa cum dilecto filio Bernardo moderno, & pro tempore exiſtente Abbate Fuldenſi, vel habita relatione ab Ordinarijs illarum partium, ex quibus ij Alumni fuerint oriundi, diſpenſandos, & ex prædictis ſcutis ſexcentis auri de Camera, quæ diſtribuuntur ad inſtar eleemoſynæ, Scholaribus pauperibus extra Collegium degentibus, trecenta tantum eiſdem pauperibus aſſignanda, & vt hactenus factum eſt, diſtribuenda, reliqua verò trecenta quindecim Alumnis, qui iuramentum huiuſmodi præſtaturi ſunt, applicanda, & in eorum neceſſitatibus impendenda eſſe, eadem auctoritate volumus, ſtatuimus, atque decernimus. Cæterum cùm dilectorum filiorum Presbyterorum Socie-

tatis

Alumnorũ numerus, & Prouinciæ.

Prouiſio annua ſcutorũ 1800. auri de Camera.

Iuramẽtum Alumnorũ, & facultas Nuntij Apoſtolici circa illud.

De ſcutis 300. pro Scholaribus pauperibus.

Colleg. Soc. Ieſu Patrib. cõmittitur.

tatis Ieſu in hoc educandorum, inſtituendorumq; Alumnorum munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs huiuſmodi Collegijs, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit, atque perſpecta idem Collegium, atque Scholares illius Presbyterorum prædictorum, ſicut adhuc fuit regimini, inſtitutioni, doctrinæ, atque prudentiæ, eadem auctoritate etiam perpetuò ſubijcimus, atque ſubmittimus. Præterea vt eiuſdem Collegij conſeruationi, bonoq; tam in his, quæ ad Scholarium inſtitutionem, & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaq; huiuſmodi neceſſaria pertinent opportunis conſulatur, & promptum eis, paratumq; auxilium ſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Congregationi de Propaganda Fide Præfectos prædictos, nunc, & pro tempore exiſtentes eiuſdem Collegij Protectores, & Defenſores, qui in Viceprotectorem illius dictum modernum, & pro tempore exiſtentem Abbatem Fuldenſem, ita tamen, vt in grauioribus nihil præcipere, aut mandare, vel facere valeat ſine conſilio, & conſenſu Nuncij Apoſtolici prædicti, quibus aliquid eorum, quæ vel in hac fundatione, vel in regulis à Congregatione prædicta approbatis continentur, immutare minimè licebit abſque eiuſdem Congregationis, vel noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis expreſſa licentia, deputare poſſint, & valeant, eadem auctoritate conſtituimus, atque creamus, illiſque, ac Viceprotectori præfato pro ſalubri illius conſeruatione, Alumnorumq; bonorum, & rerum, ac iurium temporalium, & ſpiritualium eiuſdem Oeconomos, Aduocatos, & Procuratores in eo deputandi, & amouendi, ac alios in eorum locum ſubſtituendi, differentias, lites, & controuerſias inter quaſcumque perſonas tam Alumnorum, quam Miniſtrantium Clericorum, & Laicorum, non tamen Presbyterorum ipſius Societatis exortas ſummariè, ſimpliciter, & de plano ſine figura, aut ſtrepitu iudicij, appellatione quacumque remota decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, ſtatutaque, & ordinationes, diſciplinam domeſticam, & ſtudia Alumnorum prædictorum concernentia, æqua tamen, & honeſta, ſacriſq; Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non repugnantia faciendi, & condendi, quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint perinde habeantur, & obſeruentur, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, prout illa ab omnibus dicti Collegij Alumnis ita haberi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, plenam, & liberam auctoritate, & tenore præmiſſis facultatem

Protector Collegij, & Viceprotector.

Nuncius Apoſtolicus, & Abbas Fuldenſis quid poſſint circa Collegij regimen.

Facultas Cõgreg. de Prop. F.d.

F j impar-

impartiatur. Quod autem ad dictorum Alumnorum admiſſionis modum, & formam deinceps habendam attinet, Rectorem prædictum dicti Collegij pro tempore exiſtentem librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac Patriæ, & Parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio, & ex eo dimittentur, ex dictoq; libro ſingulis annis Catalogum eorum, qui recepti, & qui dimiſſi fuerint, cum die, menſeq; ingreſſus, & egreſſus illorum Nuncio prædicto mittere, vt ipſe Nuncius illum præfatæ de Propaganda Fide Congregationi tranſmittere poſſit. Quod ſi ex aliqua peculiari cauſa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Catalogo exprimi. Inſigniores verò Alumnorum præfatorum actiones in eodem libro annotare, easq; ſuo tempore eidem Nuncio ſignificare, vt pariter de illis eandem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, per eamdem Congregationem deferri volumus, vt cum occaſio tulerit premio cohoneſtentur, ac denique alium librum in quo dati, & accepti rationes diligentiſſimè, & clariſſimè deſcriptæ ſint, illæq; ſingulis annis ad minus eidem Nuncio reddantur, & in eius manibus relinquatur folium, vulgo Bilancium nuncupatum, in quo prouiſio Collegij, et alia, quæ ipſius Collegij, vel Alumnorũ ratione acceperit, & ea, quæ illo anno pro ipſius Collegij, & Alumnorum ſuſtentatione impenderit, notata exiſtant, vt ſimiliter ab eodem Nuncio ad Vrbem mitti poſſit, etiam habere. Si quid autem de tota penſionis Pontificiæ ſumma redditis rationibus ſupererit, id, vel in alijs Alũnis euocandis, vel in neceſſarijs libris emendis, vel in veſtiendis Alumnis, dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in alijs Collegij neceſſitatibus arbitrio Nuncij, & Abbatis Fuldenſis prædictorum impendi debere, eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus. Vt verò huius Collegij Alumni poſt longos ſtudiorum, aut cœptorum, & conſummatorum labores expeditiores, et alacriores ad ſuccurrendum patriæ neceſſitatibus reddantur, eiſdem Alumnis, vt cum ſolis litteris teſtimonialibus dicti Collegij Rectoris pro tempore exiſtentis Abbati Fuldenſi offerendis, ab eoq; ſubſcribendis, ac eius ſigillo muniendis, niſi fortè Alumni prædicti ſuos Ordinarios habuerint, à quibus dimiſſorias à Concilio Tridentino ordinatas habere poſſint, ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines, ſine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo etiam extra tempora ad id à Iure ſtatuta, & intra annum, anniq́ue curriculo non expectato, minusq; ſeruatis ad id à Con-

Obligatio Rectoris notādi Alumnorum nomina.

Et conficiē di Catalogum.

Et reddendi rationes dati, & accepti.

Priuilegia Alumnorũ circa Ordines, & Sacramenta.

à Concilio Tridentino prædicto deſignatis interſtitijs, dummodo ad id aliàs reperiantur idonei promoueri, & poſtquam promoti fuerint in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac etiam tam ipſi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, vt Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ etiam in die Paſchatis, & Extremæ vnctionis Sacramenta à Confeſſario, aut alio Sacerdote ipſius Collegij à dicto Rectore conſtituendo ſuſcipere liberè, & licitè valeant auctoritate, & tenore præmiſſis, de ſpeciali gratia indulgemus. Verùm vt quantum fieri poterit dictorum Alumnorum paupertati, & neceſſitati ſuccurratur ſeriò requirimus, atque monemus Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios antedictarum Prouinciarum beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatores, & Collatrices, vt in illis conferendis, & præſertim ſi beneficia huiuſmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos alijs omnibus, cæteris paribus, præferant. Nuncios quoque Sedis Apoſtolicæ, alioſq; Prælatos ſupradictarum Prouinciarum, in quorum Diœceſi Alumni præfati extiterint, vt in occurrentibus beneficiorum huiuſmodi, & præſertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio prouiſio, vel diſpoſitio, quoquo modo ad Sedem Apoſtolicam pertinuerit, de illis Alumnis antedictis, pauperioribus, præcipuèq; noſtra Pontificia gratia dignis Nos, ſucceſſoreſq; noſtros Romanos Pontifices pro tempore ſimiliter exiſtentes, certiores faciant, vt munificentiam noſtram erga illos, prout tempus, vel occaſio tulerit, exercere poſſimus. Et generaliter in Dignitatibus, Perſonatibus, Canonicatibus, & Præbendis, Parochialibus Eccleſijs, & alijs beneficijs Eccleſiaſticis per collationem, vel electionem in Alumnorum patrijs prouidendis eoſdem Alumnos, alijs omnibus, cæteris paribus, tam in Romana Curia, quàm in Eccleſijs ſuis originalibus præferri volumus & decernimus, atque inſuper eiſdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus omnia, & quæcumque priuilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus ſtudium generale Almæ Vrbis noſtræ, & illius Rectores, Doctoreſq;, & in eo legentes quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum; ita vt Collegium, & Scholares, ac Rectores, & Gubernatores huiuſmodi, illis non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter vti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò com-

Et circa Beneficia Eccleſiaſtica.

municamus. Vt verò temporalibus commodis, ſpiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium deuotio, & merita creſcere magis & augeri poſſint, de eiuſmodi Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Scholaribus, Rectoribus, & Miniſtris, qui in idem Collegium recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, & deinde in exitu ſiquidem confeſſi & contriti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, atque etiam ſi in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Poſtremò quaſcumque Regulas, & Conſtitutiones ad eiuſdem Collegij, illiusq; perſonarum, rerum, & bonorum ſpiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Alumnorum præfatorum receptionem, admiſſionem, victum, amictum, inſtructionem, diſciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta de Propaganda Fide Congregatione die vigeſima quinta menſis Septembris Anni Domini milleſimi ſexcenteſimi vigeſimioctaui ęditas, etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illaſq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, ac eaſdem præſentes nullo vnquam tempore, ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius, vel controuerſiam vocari, ſeu ad terminos iuris reduci poſſe, nec quemquam ad eaſdem præſentes in Camera Apoſtolica iuxta Conſtitutionem piæ mem. Pij Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut aliàs quandocumqee præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illa inualida eſſe, ſed omni modo valere, ac ſi Conſtitutio prædicta, & alia contraria minimè emanaſſent; ſicq; per quoſcumque Iudices Ordinarios, et delegatos, etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes Clericos, ac eiuſdem S. Rom. Eccleſiæ Camerarium, Vicecamerariũ, et cauſarũ Palatij Apoſtolici Auditores, ac alios dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit

Indulgentię pro Alũnis, Rectoribus, & Miniſtris.

Regulę Collegij confirmantur.

tigerit attentari. Quocirca eidem Nuncio, et dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Abbati prædicto Motu pari per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegij huiuſmodi, ſeu aliorum, quorum fauorem illa concernunt, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illisque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac Rectorem & Alumnos, aliosq; huiuſmodi illis pacificè frui, & gaudere; nō permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruatā forma eiuſdem Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis: Non obſtantibus noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, ac prædicta Gregorij prædeceſſoris huiuſmodi, quatenus opus ſit, & quatenus reperiretur, ac quibuſuis alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorumque Rectoribus, & perſonis etiam ſub quibuſuis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam Motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi aliàs pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nō autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habēda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hæc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdē præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diuiſim ab eadem ſit Sede indul-

tum,

tum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu tamen Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegij, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ſubiectionis, ſubmiſſionis, conſtitutionis, creationis, attributionis, indulti, requiſitionis, monitionis, communicationis, conceſſionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo, 4. Kal. Ianuarij, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

E. DAT.

Seb. Ghezzius.

Viſa de Curia A. Hurandus,

G. Montanus.

Inſti.

Inſtitutio, & Reformatio Collegij Illyricorum.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ZElo Domus Dei nos commouente, vt paruulis petentibus panem Verbi Dei, pro munere noſtro frangamus; quippe qui vniuerſarum gentium, populorumq; Chriſti fidem profitentium ſalutem procurare, & promouere ſtudemus; dum omnes Chriſtiani Orbis partes oculis mentis noſtræ perluſtramus, Illyricæ linguæ gentis, maiorem Europæ, & maximam Aſiæ portionem incolentis, atque per Europam, præſtantiſſimis Regnis, & Prouincijs olim florentiſſimæ, ac inter plantas Apoſtolicas, in gremio Catholicæ Eccleſiæ Primogenitæ, nunc verò maxima ex ex parte ſub impia Turcarum tyrannide gementis, Schiſmaticorumq; Orientalium, hæreſumq; Septentrionalium venenis per partes infectæ, pro debito noſtri Paſtoralis officij, neceſſitatibus ſpiritualibus ſuccurrere cogimur, & admonemur.

Cauſę fũdationis.

1 Cùm itaque ſicut nobis innotuit aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter miſeratione tantæ gentis, Collegium Illyricanæ iuuentutis in Ciuitate Lauretana illius ſacroſanctæ Domus prouentibus alendæ, boniſq; artibus, & diſciplinis inſtruendæ, præfixo tunc temporis numero, ad triginta adoleſcentes, Apoſtolica auctoritate erexiſſet, & inſtituiſſet, optimò æquè conſilio, fructuque, cum breui temporis interuallo iuuentus inibi bonis moribus ac litteris inſtituta, patriæq; iuuandæ adhibita, magno diuinæ gloriæ augmento, animarumq; ſalute, Prouincias Illyricas, præſertim verò littoralem Dalmatiam, diſcuſſis quibus offundebatur ignorantiæ tenebris, ad veræ pietatis media excitauerit. Cumq; adeò pium opus aliquot poſt annis, quibuſdam de cauſis admodum imminutum fuerit, redacto ad duodecim tantùm Alumnos adoleſcentium Romam, Laureto, tranſlatorum numero, Lauretano Collegio penitus extincto.

Greg. XIII. fũdauit Colleg. Illyricũ Laureti prouentibus ſacroſanctæ Domus.

Colleg Illyricorũ Laureti extinctum.

2 Nos qui hanc eiuſcemodi tranſlationem, & numeri Alumnorum imminutionem, in maximum damnum Fidei, in illis Prouincijs contigiſſe, certa ſcientia cognouimus, ad opus hoc, dictum Col-

Vrbanus viij. de nouo illud Laureti fundat, & erigit.

Collegium in priſtinum, & quantum fieri poterit, in meliorem ſtatum reſtituendum, & renouandum, animum & mentem noſtram conuertentes, maturo deſuper cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Congregationi de Propaganda Fide Præfectis, habito conſilio, Motu proprio, non ad alicuius Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiã, ſed ex certa ſcientia, meraq; liberalitate noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, Sanctæq; ipſius Eccleſiæ incrementum, ac præcipuã Illyricæ gentis ſalutem, & cõmodum, in Ciuitate Lauretana præfata, dictum Collegium Illyricum appellandum, in quo in poſterum prior adoleſcentium numerus trigintaſex videlicet, Sacroſanctæ Domus Lauretanæ, vt olim prouentibus, redditibus, & prouentionibus, ſuſtentari, ali, educari, ac in bonis, Eccleſiaſticiſq; moribus, necnon in Grãmaticæ, Philoſophiæ, & Theologiæ, ac Sacrorum Canonum, aliarumq; facultatũ, neceſſitates Illyricas concernentiũ, diſciplinis ac ſtudijs inſtrui, ita tamen vt donec dicta Sacra domus, cuius prouentus, ob multas expẽſas in tranſlatione Alumnorũ, & extructione domus Collegialis factas, tàm magno Alumnorũ numero ſuſtentando, non facile ſufficere videtur, expenſarũ mole leuari ceperit, Collegio præfato viginti ſaltem Alumni ex Illyricis Prouincijs euocandi, ali, educari, & inſtrui debeant, & harũ viginti Alumnorum loca, duodecim videlicet littoralibus Dalmatiæ Vrbibus ab exordio dicti Collegij deſtinata, perpetuò Adoleſcentium eiuſdem Prouinciæ immutabilia cenſeantur, & eſſe debeant, diſtributione, & aſſignatione dictorum duodecim locorum, ſequenti ratione inuiolabiliter obſeruanda.

Numerus Alumnorũ, eorumq. ſuſtentatio.

Diſciplinæ, ac ſtudia Alumnorum.

3 Nimirum vt Spalateñ. Raguſiñ. Iadreñ. & Antibareñ. Eccleſiæ Metropolitañ. ſingulæ vnum ſemper Alumnum, ſeu vnius Alumni locum habeant, & in illorum diſtributione, Spalateñ. videlicet, Oppidi Almiſienſis nunc ſuæ diœc. Antibareñ. verò Buduanæ Ciuitatis ſuæ Prouinciæ, Iadreñ. autem Eccleſiæ præfatæ, Oppidi Pagenſis, etiam ſuæ diœc. rationem habere debeant, vt ſcilicet tertia quæque ſucceſſio Alumnorum pertinentium ad dictas tres Metropoliticas Eccleſias, ſit oppidorum, & Ciuitatis huiuſmodi. Similiter S beniceñ. Veglieñ. Phareñ. ſiue Leſineñ. Auſſereñ. Catharenſiſq; Eccleſiis ſingulis locus vnius Alumni competat, in quibus diſtribuendis Phareñ. ſeu Leſineñ. Bracchiæ Inſulæ ſuæ diœc. Auſſereñ. verò Cherſi oppidi, item ſuæ diœc. Cathareñ. Eccleſiæ præfatæ Peraſti Oppidi pariter ſuæ diœceſ. eamdem rationem quæ ſupra tribus Metropoliticis Eccleſijs præfatis præſcri-

Diſtributio & aſſignatio locorũ Eccleſijs Illyricis.

pta

pta eſt, habeant, & habere teneantur. Denique Eccleſiæ Curzoleñ. cum Stagneñ. vnum alternatim; Tragineñ. & Noneñ. itidem, ſicuti & Arbeñ. & Segnieñ. vnum alternatim habere debeant; hoc tamen expreſsè ſeruando.

4 Vt quandocunque vel negligentia Prçlatorum, Capitulorumve Dalmaticorum, ad quos approbationem dictorum Alumnorum coniunctim, electionem verò & admiſſionem eorũ, qui vt præfertur, approbati fuerint, ad Cardinalem eiuſdem Collegij Protectorem pro tempore exiſteñ. perpetuò ſpectare, & pertinere volumus, vel quauis alia de cauſa loca alicuius, vel aliquorum Alumnorum eiſdem, vt præfertur, Eccleſijs aſſignatorum, vltra ſex menſes vacare contigerint, nullatenus illa ex alijs præfatis Dalmatiæ Eccleſijs littoralibus, ſed ex alijs Illyricæ nationis ſub Turca exiſtentibus; ea tantùm vice, qua vacare contigerint, per quod tamen nullum præiudicium, in poſterum alijs Eccleſijs præfatis generetur, ſuppleantur, & hoc toties quoties ſimilis vacatio interceſſerit. Si Prælati neglexerint mittere Alũnos, quid ſeruandum.

5 Quinimò ſi qui Alumni plures videlicet ex vna dictarum Eccleſiarum præter hanc noſtram declarationem, in dicto Collegio admiſſi, de cætero reperientur, ſine vlla mora, protinus excludantur, locaq; ſuis Eccleſijs aſſignata, vel alijs eorum loco nominatis, ſine vlla interpretatione, indulgentiave reſtituantur. Reliqua verò octo loca pro nunc, donec Alumni ad antiquum numerum integrentur, ſic diuiſa intelligantur, nimirum Boſneñ. Maccareñ. Scardoneñ. necnon Samandrieñ. & Vſcopieñ. Eccleſiæ, ſingulæ videlicet vnicum Alumnũ habeant, ſicuti & regio intra Drauum, Sauumq; fluuios conſtitutæ, Boſneñ. Adminiſtratoris curæ cõmiſſa vnicum, in Albanenſi verò, ſiue Epirotica Prouincia, donec iuxta eiuſdem prædeceſſoris mentem, peculiare Collegium eidem cõſtituatur, Eccleſiæ citra Drinum fluuium conſtitutę, vnicum, vltra verò Drinum, alium viciſſim habere debeant. Adaucto verò numero, in futurum illius beneficio prænominatæ Eccleſiæ ſub Turcis conſtitutæ, additis Tininieñ. Dumneñ. ſeu Dalmateñ. Stridoneñ. Tribulienſique, in Dalmatia Turcica, Boſnaq;, Niſſienſiq;, ac Priſrieñ., ſiue Iuſtinianea prima in Seruia, potiantur, & gaudeant, habita nihilominus ratione Eccleſiarum præfatarum, maiori auxilio indigentium, Apoſtolica auctoritate præfata, earumdem tenore pręſentium rurſus ex integro perpetuò erigimus, & inſtituimus. Quid agendum cũ pręſentibus Alumnis.

6 Vt autem admiſſio, & receptio dictorum Alumnorum debito ordine procedat, vt nemo intra eorum numerum in præfato Collegio acceptetur, qui litteras teſtimoniales Ordinarij ſui, & Ca- Modus admittendi Alumnos ad Collegium.

 pituli

piculi loci, vbi fieri poterit, non habeat, quibus conſtet illum in, & de legitimo matrimonio natum, & ſaltem prima tonſura initiatum, nec eſſe Neophytum, multo minus aliquo tempore hæreſi, vel Mahumetiſmo adhæſiſſe, ſitq; ſanus, & abſque vlla infirmitate habituata, vel incurabili, ac ſine vllo vitio, vel deformitate notabili corporis, lingua minimè impedita, parentibus Illyricis, Illyricæq; linguæ, & ſi fieri poterit, litteraturæ quoque Illyricæ peritus, qui vagus non fuerit, nihilq; negotij, ac litium habeat, & præſeferat voluntatem, ac ſpeciem proficiendi in diſciplina pietatis, & litterarum, ad effectum vt euadat vtilis operarius in cultura Illyricanæ Eccleſiæ, idemq; non ſit inferior quatuordecim annis, nec vigeſimum annum excedat, habeatq; aliquam Grammaticæ cognitionem, quæ omnia ſicut in duodecim Dalmaticis Alumnis, ab Epiſcopis, & Capitulis, vt præfertur, diligendis, omni rigore, ita in ſubditis Turcarum mitius obſeruentur.

7 Et poſtquam aliquis præfato ordine inter Alumnos receptus fuerit, Collegialem veſtem non induat, niſi per ſemeſtre ſpatium probatus, iudicio Superiorum eiuſdem Collegij, ſolemne iuramentum in manibus eiuſdem Collegij Rectoris pro tempore exiſtentis, emiſerit, iuxta formam à Congregatione de Propaganda Fide præſcriptam, & præterea iurauerit, quòd peractis ſtudijs, vel ob aliam legitimam cauſam non prorſus abſolutis, dummodo tamen per annum, & dimidium in Collegio moram traxerit, nec ad aulas Principum, domoſq; Magnatum, diuturnioris moræ cauſa vnquam ſe conferet, minuſq; ad Vniuerſitates, aut alias publicas ſcholas, ſub quouis prætextu, niſi fortè iudicio, vel voluntate Superiorum in ſcriptis exprimenda.

Iuramẽtum Alumnorũ.

8 Contrafactores verò periuri, & infames, inhabileſq; perpetuò ad quæcumque beneficia, officia, dignitateſq; tàm Eccleſiaſticas, quàm Seculares exiſtant, etiam volumus ad rependendas, & exoluendas omnes illas expenſas, quas Sacra Domus pro huiuſmodi Alumnis, tàm in conuictu, quàm veſtibus, libris, medicinis, viaticiſq; inſumpſerit, cogi, & compelli poſſint, eiſdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

Pena cõtrafacientium.

9 Quò verò dicti Alumni expeditiores, & alacriores ad ſuccurrendum patriæ neceſſitatibus efficiantur, eiſdem Alumnis, vt eo temporis ſpatio, quo in Collegio præfato ſeſe continuerint, & Superiorum iudicio in ſtudijs præfatis, & litterarum profecerint, ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam ſine litteris dimiſſorialibus, niſi habeant Epiſcopos proprios, à quibus illæ

Priuilegia Alumnorũ.

obti-

obtineri poterint, cum ad Collegium dirigentur, & ſine beneficij Eccleſiaſtici, aut patrimonij, ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora, dummodò tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoueri poſſint, & valeant, ijdemq; ſic ad Ordines promoti, in originalibus Eccleſijs cum beneficia, perſonatus, dignitatesq; earum vacare contigerit, tam in Romana Curia, quam apud Ordinarios proprios, & Capitula, alijs omnibus, cæteris paribus, anteferri debeant, & ſecus factæ prouiſiones, irritæ, & inanes ipſo iure exiſtant, auctoritate, & tenore præmiſſis, de ſpeciali gratia indulgemus.

10 Adoleſcentes quoque Bulgarici Regni, qui ſex numero per Eleemoſynarium noſtrum ſecretum, hic in Vrbe in ſtudijs ſuſtentantur, auxilio afflictiſſimæ illorum patriæ, vt inter connationales Illyricos, in pietate, & litteris magis proficere poſſint, præfatis Alumnis in Lauretano Collegio adiungimus, quibus idem eleemoſynarius noſter, vt in poſterum, vti hactenus conſueuit, omnia neceſſaria pro ſufficienti illorum ſuſtentatione, & educatione, ſubminiſtrare debeat, abſolutisq; ab eiſdem Bulgaricis Alumnis ſtudijs, ſemper alios viciſſim ſubſtitui, ſufficiq; ex eodem Regno, per eandem Congregationem de Propaganda Fide, ad Epiſcopi Sophień. pro tempore exiſtentis, nominationem, eodem quo hactenus numero, & prouiſione declaramus. *Vnio ſex adoleſcentiũ Bulgarorum cum dictis Alumnis, & eorum ſuſtentatio.*

11 Cæterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Ieſu in hoc educandorum, inſtituendorumq; adoleſcentium munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs eiuſmodi Collegijs, & in hoc ipſo quamdiu Laureti, & in Seminario Romano fuit, ſatis cognita ſit, atque perſpecta, Collegium, atque Scholares huiuſmodi ipſorum, ſicuti à prima illius origine fuit, regimini, inſtitutioni, doctrinæ, atque obedientiæ, ſub Regulis, & Conſtitutionibus, per dictam Congregationem de Propaganda Fide approbatis, quas Apoſtolica auctoritate cõfirmamus, eaſdemq; à Rectore, & Alumnis perpetuò obſeruari mandamus, eadem auctoritate ſubijcimus, atque ſubmittimus. *Gubernium Collegij datur Presbyteris Societ. Ieſu.*

12 Et inſuper eidem Collegio & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, ac Miniſtris, omnia, & quæcumque priuilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus Studium generale Almæ Vrbis, & illius Rector, Doctoresq; in eo legentes, aliaque Collegia quarumcumque Nationum, & Seminariorum tàm in eadem Alma Vrbe, quàm extra illam, per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices inſtituta, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, *Priuilegia generalia Collegij.*

G ij potiri,

potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quibusque Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores huiuſmodi, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æquè principaliter, vti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus, & per omnia, dicta auctoritate communicamus.

13 Præterea Regentibus, & Superioribus dicti Collegij, cum aſſiſtentia tamen Cardinalis Protectoris, qui pro tempore conſtitutus fuerit, & de eius conſilio, & expreſſo conſenſu, illos quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, ac moribus idoneos eſſe repererint, in præfatis facultatibus, ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratusque, & Magiſterij gradus, ſeruata forma Concilij Viennen. iuxta Vniuerſitatis Almæ Vrbis conſuetudinem, ſeu aliàs promouendi, & ipſorum graduum ſolita inſigna exhibendi, eisq; in facultatibus ſupraſcriptis ſic promotis, aut illas legitimè interpretari, ac de eis diſputare, & quoſcumque gradui, ſeu gradibus huiuſmodi conuenientes actus exercere, ac omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, fauoribus, prærogatiuis, & indultis, quibus alij in præfata, ſeu alijs Vniuerſitatibus, & alibi, iuxta illius, & aliarum Vniuerſitatum huiuſmodi Conſtitutiones, & mores, ad gradus præfatos promoti, de iure, vel conſuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perinde ac ſi gradus præfatos in ipſa Vniuerſitate, iuxta conſuetudines & mores præfatos ſuſcepiſſent, concedendi, & indulgendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem, earumdem tenore præſentium concedimus, & impartimur.

Priuilegia Superiorum Collegij ad fauorem Alumnorum.

14 Præterea vt eiuſdem Collegij conſeruationi, bonoq; regimini, tàm in his quæ ad Scholarium inſtitutionem, & diſciplinam; quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaq; huiuſmodi neceſſaria pertinent, opportunius conſulatur, & promptum eis, paratumq; auxilium ſit, dilectum filium noſtrum Scipionem Tituli Sancti Chryſogoni Presbyterum Cardinalem Burgheſium nuncupatum, Sacroſanctæ Lauretanæ domus Protectorem, eiuſdem Collegij Illyrici Protectorem & defenſorem, cuius auctoritate, conſilio, & ope, tàm ſupraſcripta, quàm quæcumque alia, ad eoſdem in dicto Collegio admittendos Scholares, retinendoſve, locisve priuandos, atque de beneficijs Eccleſiaſticis prouidendos ſpectantia, agantur, ſtatuantur, & ordinentur, dicta auctoritate conſtituimus, & deputamus. Dantes eidem, & pro tempore exiſtentibus eiuſdem Collegij Protectoribus, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem,

Depotatio Protectoris Collegij.

tem, pro ſalubri directione, & conſeruatione dicti Collegij, illiuſque bonorum, & rerum, ac iurium, tàm temporalium, quàm ſpiritualium Oeconomos, Aduocatos, Procuratores, aliosq; Miniſtros, & Officiales in eo deputandi, amouendique, & alios eorum loco ſufficiendi. Ordinationes præterea, Statuta, æqua tamen & honeſta, ſacrisq; Canonibus, & Concilij Tridentini Sacræque Congregationis de Propaganda Fide Decretis, circa Collegia Pontificia editis, non repugnantia, faciendi, & edendi, eaq; cum opus viſum fuerit, reuocandi, irritandi, corrigendi, aliaq; de nouo condendi, quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata,& correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, ac decernentes illa ab omnibus Rectoribus, & Magiſtris, Scholaribus, alijsq; perſonis in huiuſmodi Collegio ſeruientibus, & miniſtranti bus, inuolabiliter obſeruari, ac iuxta eorum diſpoſitionem, à quibuſuis Iudicibus, ſublata quauis aliter iudicandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quocumque, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, exceptis tamen ijs, quæ in præſenti fundatione, vel in Regulis,& Conſtitutionibus, à Congregatione de Propaganda Fide approbatis, & à Nobis, vt præfertur,confirmatis,continentur. Protectoris facultates.

15 Vt verò etiam temporalibus commodis ſpiritualia munera addamus, quibus fidelium deuotio, & merita, creſcere magis, & augeri poſſint; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Scholaribus, qui in dictum Collegium recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, ac deinde in exitu, ſiquidem confeſſi, & contriti, Sacram Communionem deuotè receperint, atque etiam ſi in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem concedimus, & elargimur. Gratiæ ſpirituales Alũnis cõceſſæ.

16 Quocirca dilectis filijs cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Venerabilium Fratrum noſtrorum, Lauretani & Anconitani Epiſcoporum Vicarijs, in ſpiritualibus generalibus. Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectorum, & Scholarium huiuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illisq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eaſdem præſentes, & in eis contenta Executores præfētis Bullæ fundationis.

hu-

huiuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac Rectores, & Scholares præfatos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, & iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

17 Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Ciuitatis Lauretanæ iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorumq; Rectoribus, & perſonis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, ac formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & alijs decretis, in genere, vel ſpecie, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, earumq; totis tenoribus pro earum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda, & tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſeruata, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe, motu pari derogamus, contrarijs quibuſcumque, aut ſi quibuſuis communiter; aut diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint; per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem.

Contrariorũ derogatio.

18 Volumus autem, quòd earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegij, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra, ac aliàs vbicumque opus fuerit, habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Trãſumptis credi iubetur.

19 Nul-

19 Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, indulti, adiunctionis, declarationis, confirmationis, ſubiectionis, ſubmiſſionis, impartitionis, conſtitutionis, deputationis, decreto conceſſorum, elargitionis, mandatorum, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Sanctionem pœnalem adijcit.

Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo Kal. Iunij, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Dat. 1. Iun. Pont. ann. 4.

E. DAT.

Viſa de Curia A. Hurandus.

G. Montanus.

Alphonſus Ilidaſcus.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Conſti.

Conſtitutio ſuper Miſsionibus Religioſorum ad Iaponiam, & alias Regiones Indiarum Orientalium.

VRBANVS PAPA VIII.

Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX debito Paſtoralis officij ſaluti animarum, & Fidei Catholicæ propagationi proſpicientes, ea, quæ prouidè à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris propterea ordinata fuerunt, ſi ſubinde experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliasq; diſponimus, prout ad Fidei Catholicæ propagationem, & animarum ſalutem huiuſmodi conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter certis tunc expreſſis cauſis adductus, per ſuas in ſimili forma Breuis litteras ſub dat. die xxviij. Ianuarij M. D. LXXXV. Pontificatus ſui anno XIII. Omnibus Patriarchis, & Epiſcopis, cuius Prouinciæ Chinæ, & Iaponis, ſub interdicti Eccleſiaſtici, & ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & Pontificalium exercitio; alijs verò Sacerdotibus, Clericis, & Miniſtris Eccleſiaſticis tàm ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis regularibus, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis maioris pœnis ipſo facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad earum Regiones, & Prouincias Iaponicas Euangelij prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, aut Sacramenta adminiſtrandi, aliaq; munia Eccleſiaſtica obeundi cauſa, ſine ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia proficiſci auderent. Poſtmodum autem rec. mem. Clemens Papa VIII. ſimiliter prædeceſſor noſter, accepto quod tàm Chinæ, & Iaponũ, quàm aliæ illius vicinæ, & adiacentes Inſulæ, Regiones, & Prouinciæ, ac finitima Regna Indiæ Orientalis ampliſſima, & populis refertiſſima erant, & pro tanta animarum multitudine ad Fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fouenda, plures operarij, ac miniſtri neceſſarij erant, quàm ex ſola religioſorum Societate Ieſu haberi poterant; omnibus, & ſingulis mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus generalibus tunc, & pro tempore exiſtentibus indulſit, vt cum neceſſitas poſtulaſſet, quoſlibet Or-

Conſtitutio Greg. xiij. circa tranſitũ ad Prouincias Chinæ, & Iaponiæ.

Moderatio Clem. viij.

Ordinis ſuæ ſpectatæ vitæ, & eruditionis religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & miniſteria idoneos, & vtiles fore in Domino iudicarent, per Luſitaniã dumtaxat, & ſuſcepta inde nauigatione, in Indias, & Ciuitatem Goañ, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tàm ipſi ſic trãſmittendi, quàm alij ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus generalibus, ſeu alijs Superioribus electi, & approbati, tàm ad Iaponicas prædictas, quàm ad alias proximas, & adiacentes etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis Inſulas, Regiones, & Prouincias accedere poſſent. Cæterùm omnibus, & ſingulis Religioſis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis eſſent, ſub excommunicationis maioris, à qua nonniſi à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis abſolui poſſent, necnon priuationis vocis tàm actiuæ, quàm paſſiuæ, ac dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac exercenda pœnis ipſo facto abſque vlla declaratione incurrendis interdixit, & prohibuit, ne ex Inſulis Philippinis nuncupatis, ſiue qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habebantur parte ad illas pertinente, in Iaponicas, & alias illis proximas, adiacentes, & finitimas Inſulas, Prouincias, & Regiones prædictas, etiam quorumcumque priuilegiorum eis, vel ſuis Ordinibus à dicto Clemente, & Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis in genere, vel in ſpecie, etiam ſuper facultate prædicandi verbum Dei per vniuerſum mundum eatenus conceſſorum, ſeu in poſterum etiam concedendorum, approbandorum, & innouandorum niſi in illis de prohibitione huiuſmodi, & interdicto ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, cum ſufficienti derogatione fieret, aut quouis alio prætextu, & quæſito colore proficiſci, & tranſire auderent, vel præſumerent; & ſi qui eatenus, vel in poſterum ſecus facerent, poſtquam moniti eſſent, ſtatim ſub eiſdem pœnis omni mora, & excuſatione ceſſante, ad dictas Inſulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentalium reuerti: & redire omnino tenerentur, & ad id per quoſcumque Iudices Eccleſiaſticos ſub eiſdem, & alijs eorum arbitrio infligendis pœnis cogi, & compelli poſſent. Et ſubinde fel. rec. Paulus Papa V. ſimiliter prædeceſſor noſter accepto, experientia cõpertum eſſe; quod prohibitio accedendi ad Indias, & Ciuitatem Goañ. aliàs quàm per Paoli V. Cõſtitutio.

H j Luſi-

vt præfertur, mitten. ad Inſulas, Prouincias, Regiones, & Regnã prædicta acceſſum huiuſmodi impedientes, excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodamus. Religioſos verò, vt ſupra mittendos, ac etiam miſſos, & in prædictis locis nunc degentes, plurimum in Domino hortamur, vt in docendo populos, & præſertim de recenti ad Fidem Chriſtianam conuerſos, vniformes ſint, ne ob doctrinæ diuerſitatem, præſertim in materijs moralibus Neophyti illi aliquod ſcandalũ patiantur; & quia in hac re Generalium præfatorum curam, & vigilantiam plurimorum profuturam arbitramur, eiſdem iniungimus, vt prædictos ſuos Religioſos ad ſeruandam prædictam conformitatem ſæpius adhortentur. Vt autem id faciliùs ſuccedat, præfati Religioſi in inſtruendis populis prædictorum locorum Indiæ Orientalis Cathechiſmum Romanum, & Doctrinam Chriſtianam paruam, & magnam bo. mem. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarminij nuncupati, in linguas prædictorum populorum tranſlatas, & impreſſas, ſi fieri poterit, omninò adhibeant. Quoniam autem, ſicut non ſine animi noſtri dolore intelleximus, in Iapone à pluribus annis contra Chriſtianos, & præſertim Religioſos, acerrima perſecutio fuit commota, eaq; vſque ad præſens perdurat, & viget, omnibus, & ſingulis Chriſtianis nunc in Iapone exiſtentibus, & pro tempore futuris, vt à quibuſuis Sacerdotibus, vt ſupra à Generalibus eorum illuc miſſis, ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta (ordinem tamen Epiſcopalem non requirentia) etiam parochialia, durante præſenti rerum ſtatu, ſuſcipere liberè, & licitè valeant, concedimus pariter, & indulgemus. Cæterùm quia à Sacris Canonibus, Conciliorum decretis, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus, omnibus Religioſis, ac etiã alijs Eccleſiaſticis, præſertim in Sacris Ordinibus conſtitutis, mercatura, & negociationes ſæculares diſtrictè prohibentur, ac valde damnoſum, indecorum, & indecens exiſtit, huiuſmodi perſonas diuino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum ſacroſanctum Chriſti Domini Euangelium deſtinatæ ſunt, præfatis mercaturæ, & negociationibus ſe immiſcere, aut operam dare, prædictorum Sacrorum Canonum, ac Decretorum, Conſtitutionumque Apoſtolicarum diſpoſitioni inhærentes, auctoritate Apoſtolica earumdem tenore præſentium Religioſis omnibus cuiuſcumque Ordinis, & Inſtituti tàm non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis IESV, eorumq; ſingulis tàm in prædictis locis nunc exiſtentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem & quamcumque mercaturam, ſeu negociationem quocumque mo-

Excommunicãtur Impedientes.

Negotiatio prohibetur ſub excõmunicatione latæ ſentẽtiæ, & alijs pœnis.

do ab eis fieri contingat, ſiue per ſe,ſiue per alios,ſiue proprio, ſiue Communitatis nomine directè,ſiue indirectè, aut quouis alio prætextu, cauſa, aut colore interdicimus, & prohibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, ac priuatione vocis actiuæ,& paſſiuæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quorumcumque,etiam inhabilitatis ad ea, & inſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ex eis factorum, quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſtent, reſeruanda erunt ad vſum Miſſionum, quæ eædem Religiones habent, & habituræ ſunt in futurum in prædictis Indijs, & non in alios vſus; eiſdem Superioribus diſtrictè præcipientes ſub eiſdem pœnis, vt in hoc inuigilent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procedant,ſublata eiſdem facultate huiuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus & lucris, quantumuis minimum remittendi, aut condonandi. Quòd ſi forte aliquæ controuerſiæ inter Religioſos dictarum Religionum (quod Deus auertat) oriantur, Epiſcopi locorum prædictorum pro tempore exiſtentes,tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, illas decidant,& terminent. Si verò grauiora quędam negocia occurrerint, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros quanto citius ab eiſdem Epiſcopis referantur, vt quod in illis ſtatui, ac decerni debeat,matura conſultatione adhibita, prouideri poſſit, ſicq; volumus, & ordinamus. Decernentes præſentes litteras validas, firmas,& efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus,& ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari.Sicq; per quoſcumque Iudices Ordinarios,& delegatos,etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores;ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere,ac irritum, & inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac cæteris Eccleſiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis per vniuerſum Orbem conſtitutis, vt præſentes litteras in ſuis quiſque Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, Capitulis, & iuriſdictionibus ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, & quoties ab Ordinum prædictorum Religioſis requiſiti fuerint ſolemniter publicari curent, & faciant. Non obſtañ interdicto, & prohibitionibus, ac litteris dictorum prædeceſſorum, alijſq; præmiſſis, necnon Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Prouincialibus, & Vniuerſalibus Concilijs editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Conſtitutio-

Cognitio cauſarũ religioſorũ Epiſcopis committuntur.

Grauiora negotia Sedi Apoſtolicæ referuantur.

tionibus de vna,& duabus dietis,ita quod vigore præſentium,etiam vltra duas dietas quilibet trahi poſſit, necnon prædictæ Societatis Ieſu, aliarumq; Religionum, Prouinciarum, & Regionum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis,& Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis,& litteris Apoſtolicis,illis,eorumq; Prælatis,Superioribus, & perſonis etiam particularibus ſub quibuſcumque teñ, & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis,ac irritantibus, & alijs Decretis,etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis,& innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis,eorumq; tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruañ foret, tenore huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hac vice ſpecialiter, & expreſsè in quantum noſtris prohibitioni, & interdicto, alijsq; præmiſſis aduerſentur, harum ſerie derogamus, ac derogatum eſſe,& cenſeri, neque illa eis vllatenus ſuffragari volumus, & declaramus,cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Declarantes etiam ac decernentes facultatem eligendi poſteriorem Datam quibuſuis Ordinibus, Societatibus,etiam Ieſu nuncupatis, & alijs quibuſcumque, etiam ſpeciali nota dignis conceſſam, nemini aduerſus præſentes noſtras litteras poſſe vnquam ſuffragari. Et quia difficile foret, præſentes litteras vbicumque vſus venerit,oſtendi,& publicari. Volumus,vt earum exemplis etiam impreſſis,manu Notarij publici, vel alicuius dictarum Religionum Secretarij ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel cuiuſuis ex Generalibus prædictis ſigillo munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ,vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris,die xxij. Februarij M. DC. XXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. A. MARALDVS.

Alumna

Alumnatus ſex Nationum Card. S. Honuphrij.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALtitudo diuinæ prouidentiæ, à qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis ſuggerit, quæ ad Chriſtianæ Religionis, & pietatis propagationem maximè profutura eſſe dignoſcuntur. Vnde nos vniuerſi Gregis Dominici graue pondus noſtris humeris impoſitum ſuſtinentes, de animarum pretioſo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui poſt glorioſam eius Reſurrectionem ad ſempiterna Regni cæleſtis tabernacula aſcenſurus, diſcipulos ſuos per vniuerſum mundum Euangelium omni creaturæ prædicare iuſſit: cuiuſq; vices in terris gerimus, ſanguine redemptarum, aſſidua meditatione ſolliciti ad ea, per quæ Fidei orthodoxæ iamdudum per vniuerſas mundi regiones diſſeminatæ, ac antiqui ſerpentis calliditàte in diuerſis mundi partibus, diuerſimodè violatæ, & conculcatæ, ſplendori ſalubri remedio reſtituendo, & propagando conſulitur, ſinceriq; eiuſdem Religionis miniſtri ad ſollicitudinis noſtræ partem, animarum videlicet curam ſuſtinendam, & vera Fidei documenta prædicandum inſtituuntur, libenter intendimus, ac ijs, quæ per Chriſtifideles quoſlibet, præſertim S. R. E. Cardinales, pro eximia eorum deuotione, & prouido, ſinceroq; mentis affectu, pro diuini cultus incremento liberaliter determinata fuerunt, Apoſtolici fauoris vltro impartimur ſuffragium. Cum itaque ſicut nobis innotuit dilectus filius noſter Fr. Antonius Barberinus, tituli S. Honuphrij, presbyter Card. eiuſdem ſancti Honuphrij nuncupatus, noſter ſecundum carnem frater germanus, Maior Pœnitentiarius, & Bibliothecæ Apoſtolicæ Præfectus, ac vnus ex eiuſdem S. R. E. Cardinalibus ſuper negotijs de Fide Catholica Propaganda deputatis, cupiens pro ſuis viribus ſanctiſſimum, & Romanæ Eccleſiæ vtiliſſimum opus dictæ Congregationis manutenere, illudq; in dies ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & animarum ſalutem augere ex bonis ſibi ab eodem Omnipotente Deo collatis, vnum Collegium, ſeu Alumnatum duodecim, pro nunc Alumnorum, ex infraſcri-

ptis

ptis Nationibus nominandorum, qui ſub iuriſdictione eiuſdem Congregationis, & ſub regimine, ac diſciplina pro tempore exiſtentis Rectoris, & iuxta Conſtitutiones Collegij de Propaganda Fide viuere, & educari debeant, cum dote, quæ numquam alienari, & cuius fructus in alium, præterquam victus, & veſtitus dictorum duodecim Alumnorum vſum conuerti non debeant, aut poſſint aſſignatione, & cum Iuriſpatronatus ad fauorem Domus noſtræ Barberinæ reſeruatione infraſcripta fundare, ac dotare decreuerit. Nos tam pium opus, quantum in nobis eſt confouere, & ad optatum finem perducere ſinceris deſiderantes affectibus, ad illud totis viribus promouendum, animum & mentem noſtram conuertimus. Quocirca motu proprio, non ad alicuius deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vnum Collegium, ſeu Alumnum, pro duodecim, pro nunc Alumnis, bonæ complexionis, ac mente, & corpore ſanis, ſine vllo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec maioribus viginti, ſeu viginti vnius annorum, in Latina, vel Italica lingua, aliquo modo introductis ex infraſcriptis Aſiæ & Africæ nationibus tantum eligendis, & nominandis; videlicet, Georgianorum, & Perſarum, ac Neſtorianorum; necnon Iacobitarum, & Melchitarum; necnon Cophtarum: duos videlicet pro qualibet natione, quem tamen numerum idem Fr. Antonius Cardinalis ad decem, & octo, tres ſcilicet pro qualibet earundem nationum, vita comite, & diuina bonitate illius conatus proſperante, quandocumque arbitrio ſuo augere valeat, ita tamen, vt ſi aliquando contigerit aliqua vice, non poſſe ex aliqua, vel aliquibus ex nationibus ſuperius deſignatis intra annum, vel ad ſummum, biennium, habere Alumnos, aſſumantur ex alijs nominatis; aut etiam Armenorum nationibus, quo caſu fructus locorum vacantium anni, vel biennij huiuſmodi ad ferendas Alumnorum neceſſitates reſeruentur; vel ijs ceſſantibus, pro augendo Alumnorum numero, inueſtiantur, ipſiq; Alumni ſub Rectoris diſciplina, & regimine, necnon ſub Regulis, & Conſtitutionibus dicti Collegij de Propaganda Fide viuere debeant, eo modo, quo viuunt cæteri Alumni, qui de præſenti in ipſo Collegio de Propaganda Fide educantur, inter quos, & Alumnos Collegij, ſeu Alumnatus, ſic nouiter erecti, nullam prorſus volumus adeſſe differentiam; niſi circa nouorum Alumnorum in Collegio admiſſionem, ad nominationem, pro tempore exiſtentis Patroni, vt infra diſponetur, faciendam: teneantur etiam nouiter erecti Collegij, ſeu Alumnatus huiuſmodi

Erectio Alũnatus.

Numerus Alumnorũ. Qualitates Alumnorũ.

Loca, ex quibus aſſumũtur Alumni.

Facultas augẽdi numerum Alumnorum.

Prouiſio in euentum, q Alũni haberi nequeant.

Subijciũtur regulis Collegij de Propag. Fide.

iuſmodi

Iuramẽtum Alumnorũ cum reſtri-ctione circa ingreſſum in religionem.

iuſmodi Alumni aliud iuramentum à Congregatione de Propaganda Fide Pontificijs Collegijs præſcriptum, præſtare: excepta prohibitione, ne fiant ſine ſpeciali licentia Regulares, quia nouiter erecti Collegij, ſeu Alumnatus Alumnos Religionem Sancti Antonij, ſeu Sancti Baſilij ingredi, & in earum qualibet profeſſionem regularem emittere poſſe volumus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, eiq; ſic erecto, & inſtituto, pro ipſius Alumnorum ſuſtentatione, & aliorum onerum ſupportatione redditus annuos per eundem Fratrem Antonium Cardinalem aſſignatos, tot videlicet loca Montium non vacabilium de Vrbe, ex quibus quolibet anno ad minus octingenta quinquaginta ſcuta percipiuntur, & aſſignandos perpetuo concedimus & aſſignamus. Ius verò nominandi Alumnos prędictos iuxta modum, & formam ſupradictam, & cum conditionibus infraſcriptis eidem Fr. Antonio Card. donec vixerit reſeruamus; ſequuto verò obitu eiuſdem Fr. Antonij Cardinalis, dilectis filijs noſtris Franciſco Sancti Laurentij in Damaſo, Barberino nuncupato, S. R. E. Vicecancellario, & Antonio Sanctæ Agathæ Diaconis, Antonio reſpectiuè nuncupatis, eiuſdem S. R. E. Cardinalibus noſtris ſecundum carnem ex fratre Germano Nepotibus, qui per turnum, alternis vicibus nominare debeant; ipſis verò deficientibus, Cardinalem, ſi tunc, vel quandocumque aderit de familia noſtra Barberina, ex linea dilecti filij nobilis viri Thadæi Barberini, noſtri etiam ſecundum carnem ex fratre Nepotis, Vrbis Præfecti, & Principis Præneſtiñ deſcendentem, & in defectu Cardinalis Prælatum, & non exiſtente tunc Prælato perſonam Eccleſiaſticam de eadem familia, & deſcendentia in iure, & facultate nominandi Alumnos huiuſmodi ſuccedere etiam volumus, ſtatuimus, & ordinamus, & ſi fortè euenerit, quod eodem tempore extarent plures Cardinales de eiuſdem Thadæi Præfecti, & Principis familia, & deſcendentia, omnes in iure, & facultate nominandi huiuſmodi æqualiter ſuccedere, & nominationem ipſam per turnum, & alternatim fieri debere decernimus. Inter plures verò Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas ille ſolus ſuccedat, & ius habeat nominandi, qui maiorem obtineat Prælaturam, & inter æquales ætate maior fuerit Quoties autem defecerint Cardinales, Prælati, & reſpectiuè perſonæ Eccleſiaſticæ de linea dicti Thadæi Præfecti, ac Principis, tunc facultatem, & ius nominandi huiuſmodi per ipſum Thadæum Præfectum, & Principem, eoq; non exiſtente, vel quandocumque deficiente, per vocatos, & comprehenſos in iure ſuccedendi, per nos ordinatos in perpe-

Dotis aſſignatio.

Nominatio Alumnorũ.

perpetuum aſſumi, & reaſſumi, idq; toties, quoties caſus deficientiæ Cardinalis, Prælati: & perſonæ Eccleſiaſticæ, ac eiuſdem Thadæi Præfecti, & Principis deſcendentia euenerit, fieri debere ſimiliter decernimus, ac huiuſmodi nominationem non poſſe fieri, niſi de Alumnis ex nationibus ſupra expreſſis; ita vt ex qualibet ſuperiùs expreſſarum nationum adſint in Alumnatu ſaltem duo, qui habeant ſupradicta requiſita, & aliter factam nominationem, nullam eſſe, nullumq; ius nominato tribuere declaramus. Et inſuper nominationes Alumnorũ per patronos prædictos pro tempore nominatorum confirmationem per S.R.E. Cardinales Congregationis de Propag. Fide pro tempore deputatos, qui antequam ad huiuſmodi confirmationem deueniant, quod in nominatis qualitates ſuperius requiſitæ concurrant, certi eſſe debeant, & ante confirmationem prædictam, nominatos nullo modo in Alumnatum recipi, aut admitti mandamus. Demum eiſdem, alijsq; dicti Alumnatus perſonis, vt omnibus, & quibuſcumque priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus omnes, & ſinguli dictæ Congregationis de Propaganda Fide Alumni, & aliæ perſonæ quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum non ſolum ad eorũ inſtar, ſed etiam pariformiter, & æquè principaliter vti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, illaq; eiſdem communicamus. decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, ac præſentes litteras vllo vnquam tempore, ex quibuſcũque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius, vel controuerſiam vocari, ſeu ad terminos iuris reduci poſſe, ſicq; per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes Clericos, & eiuſdem S. R. E. Camerariũ, & alios Cardinales, ac vice Camerarios; necnon Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Vrbis Gubernatori, & cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. generali Auditori, & noſtro in eadem Vrbe, eiuſq; diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque,

Alumnorũ nominatorũ cõfirmatio.

Priuilegia Alumnatus.

 vbi,

vbi, & quando opus fuerit, & quando pro parte, nunc, & pro tempore intereſſe habentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter & inuiolabiliter obſeruari, ac nunc, & pro tempore intereſſe habentes, illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, non obſtantibus noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, necnon quibuſuis Apoſtolicis Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis prædictæ Congregationi; & quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorumq; Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & alijs perſonis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel ſpecie, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac alias quomodolibet in contrarium conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, etſi de illis, eorumq; tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda; aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenores huiuſmodi, etiamſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruati, & inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis, aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè motu pari derogamus contrarijs quibuſcunque, aut ſi quibuſuis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autẽ quod præſentiũ litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Cõgregat. aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides adhibeatur in iudicio,

cio,

cio, & extra vbicumque opus fuerit, quæ haberetur eiſdem litteris, ſi forent exhibitæ, vel extenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, aſſignationis, reſeruationis, decreti, declarationis, conceſſionis, indulti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, decimo kalend. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Quartodecimo.

E. DAT.

Ioan. Sauener.

Petr. Ciampinet.

Viſa de Curia A. Hurandus.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Breue pro Ordinatione Alumnorum Congreg. de Propag. Fide.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

AD vberes fructus, quos in Eccleſia Dei faciunt dilecti filij Alumni, & Conuictores Congregationis de Propaganda Fide, paternè dirigentes conſiderationis intuitum, dignum arbitramur, & congruum, vt illis reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque Alumnos, & Conuictores huiuſmodi ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi, eorumq; ſingulares perſonas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illo-

rum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negocio Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, eiuſdem Congregationis Alumnis, & Conuictoribus, & alijs, qui quoquo modo ad inſtantiam eiuſdem Congregationis in præſentiarum Romæ, vel alibi educantur, & in futurum educabuntur, vt abſque litteris dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, & etiam ſine titulo beneficij Eccleſiaſtici, aut patrimonij, ſed ad titulum tantum miſſionis à quocumque, quem maluerit Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, in ſua diœceſi reſiden͂, vel in aliena de Diœceſani loci licentia Pontificalia exercen͂, ad quattuor minores etiam vnico feſtiuo, vel feriato, necnon etiam ad Sacros & Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, ſeu alijs feſtiuis, & continuis, vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id à iure ſtatuta, & non ſeruatis interſtitijs à Sacro Concilio Tridentino deſignatis, anniq; curriculo non expectato, etiam ſi antequam de vno ad alium Ordinem promoueantur, ni primo quoque ſuſcepto Ordine ſe minimè exercuerint, aut alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti non ſint, dummodo tamen ſint ætatis legitimæ, ac aliàs idonei, & per triennium continuum fuerint eiuſdem Congregationis Alumni, ſeu Conuictores, aut ad illius inſtantiam educati, & denique habeant litteras teſtimoniales Rectorum, aut eorum apud quos educantur, & inſtruuntur, de eorum vita, & moribus, & in ſcientijs profectis, nec eis aliud Canonicum obſtet impedimentum, promouere, & promoti in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Vniuerſalibus, Prouincialibusq;, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die XVIII. Maij M. DC. XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

M. A. MARALDVS.

Conſtitutio de ſubiectione Colleg. Auenion. Magni, & de Ruere nuncup. Sacræ Congreg. de Propag. Fide.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiuncti Nobis deſuper Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt Collegiorum ad Iuuentutis inſtructionem, præſertim in Ciuitatibus noſtræ ditioni ſubiectis inſtitutorum paternam curam gerentes, ea quæ ad eorum damnum incuria perſonarum illis præſidentium, & defectu debitæ prouiſionis irrepſiſſe comperimus, de medio tollamus, eiſdemq; pro illorum felici gubernio, ac iurium conſeruatione, necnon Alumnorum in eo pro tempore degentium tranquillitate, & in bonis moribus, & diſciplinis eruditione nouos Protectores, de quorum vti Cardinalatus honore fulgentium in rebus omnibus eximia ſolertia, & prudentia, ſingulariq; zelo, & charitatis affectu nuſquam hæſitandum ſit, conſtituamus, & deputemus, aliàsq; deſuper diſponamus, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, in Ciuitate noſtra Auenioneñ vnum S. Nicolai de Anexiaco magnum nuncupatum, & alterum della Rouore, vulgo etiam nuncupatum, Collegia pro recipiendis, alendis, & inſtituendis in eis Collegialibus, ſeu Alumnis ex Prouincijs, & locis in eorum fundatione expreſſis euocandis à multis annis, Apoſtolica auctoritate, aut aliàs inſtituta, erecta, & dotata reperiantur, & ex relatione prædictorum Collegiorum Viſitationis, in Congregatione de Propaganda Fide in noſtra præſentia habita, nobis innotuerit bona tàm libera, quàm emphiteotica, & iuriſdictiones, ac redditus prædictorum Collegiorum temporis ſucceſſu, ac malo Rectorum, & aliorum, qui curam illorum habuerunt, regimine, non ſolum deteriorata, & imminuta, ſed etiam ex parte alienata fuiſſe, ipſorum quoque Collegiorum ædificia, prædictorum miniſtrorum incuria, & negligentia peſſundata, & diſciplinam Collegialium, ſeu Alumnorum ob Conſtitutionum prædictorum Collegiorum inobſeruantiam ferè penitus eſſe collapſam, & denique contra fundatorum mentem, & diſpoſitionem, Pontificiasq; Conſtitutiones pro prædictis

Subiectio duorũ Collegiorũ Aueniones. Sa. Congreg. de Prop. Fide.

dictis

dictis Collegijs editas, multos graues in eis, & præſertim circa gubernium prædictorum Collegiorum, ſeu Alumnorum irrepſiſſe abuſus, quibus niſi celeriter prouideatur, res prædictorum Collegiorum in deterius labi neceſſe eſt, & modica, ſeu nulla vtilitas, aut fructus ex illis in poſterum percipientur: Nos eorumdem Collegiorum reformationi, conſeruationi, & manutentioni, bonoq; eorum regimini, ac prædictorum bonorum & iuriſdictionum, ac reddituum eorum exactioni, ac fideli adminiſtrationi conſulere volentes Motu proprio, non ad alicuius nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraq; deliberatione noſtris habito etiam ſuper ſupra præfatis Collegijs, & eorum reformatione, cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, negotio Propagationis Fidei in vniuerſum mundum præpoſitis, maturo conſilio, Collegia prædicta, & eorum quodlibet, necnon eorum, ac cuiuſlibet ipſorum Doctores, Magiſtros, Scholares, aliosq; Miniſtros, & perſonas quaſcumque, necnon bona, iuriſdictiones, prouentus, iura, & emolumenta quæcumque, quocumque nomine nuncupata, aliasq; res omnes & ſingulas, tàm Eccleſiaſticas, quàm profanas, necnon etiam Eccleſias, ſeu Cappellas omnimodæ iuriſdictioni, gubernationi, protectioni, & directioni, nunc, & pro tempore exiſtentium eiuſdem S. R. E. Cardinalium negotio Propagationis Fidei præpoſitorum huiuſmodi, priuatiuè quoad omnes alios quacumque dignitate fungentes, etiā ſi ſpecialem requirerent mentionem, qui ſuper Collegijs, perſonis, rebus, & bonis prædictis, vel eorum aliquibus ſimiles, gubernationem, protectionem, iuriſdictionem, & directionem ex quacumque cauſa quomodolibet habentur, ſeu habere dici, aut prætendi poſſunt, ſeu poterunt quomodolibet in futurum Apoſtolica auctoritate, tenore perpetuò ſubijcimus, & ſubmittimus eiſdem Cardinalibus negotio Propagationis Fidei huiuſmodi præpoſitis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, prædicta Collegia, & eorum quodlibet, prout eis viſum fuerit, reformandi, regendi, & gubernandi, Rectoreſque, Iudices, Cappellanos, Oeconomos, & alios Miniſtros eorumdem Collegiorum, & cuiuſlibet eorum deputandi, & conſtituendi, eoſque, & quomodolibet eorum ad eorumdem Cardinalium merum, & liberum, & abſolutum beneplacitum etiam abſque vlla cauſa amouendi, in Collegijs prædictis Scholares, ſeu Alumnos ex Prouincijs in fundationibus eorum expreſſis, & nominatis oriundos, qui teſtimoniales litteras horum ordinariorum de vita, moribus, & idoneitate ad ſtudia deferunt, admittendi, eoſq; ſi diſcoli, aut inepti ad ſtudia fue-

Collegia Auenion. ſubijciūtur Sac. Cōgreg. de Prop. Fide.

Facultas deputandi Rectores, Iudices, Cappellanos, Oeconomos, & alios Miniſtros.

Facultas ad mittēdi Aū nos, eoſque eijciendi.

fuerint, vel aliàs in litteris, vel bonis moribus non profecerint, & denique ſi Conſtitutiones prædictorum Collegiorum non obſeruauerint è Collegijs ipſis, & eorum quolibet eijciendi, necnon eorumdem Collegiorum, & cuiuſlibet illorum bona, iura, iuriſdictiones, & redditus huiuſmodi adminiſtrandi, ipſosq; redditus in alendis Scholaribus, & Miniſtris, & in reficiendis, ac reparandis fabricis eorumdem Collegiorum, & eorum & cuiuſlibet, ac aliàs prout expediens videbitur circa manutentionem, & conſeruationem dictorum Collegiorum, & cuiuſlibet illorum inſumendi, bonaq; & iuriſdictiones huiuſmodi ad tempus à iure permiſſum locandi, & diſlocandi, affictus exigendi, eosq; inſumendi, vt ſupra, ac de exactis quietandi, aliaq; in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, procurandi, & exequendi etiam priuatiuè quoad omnes alios, vt ſupra eiſdem auctoritate & tenore plenam, liberam, & omnimodam, ac abſolutam licentiam, & facultatem; ac auctoritatem etiam perpetuò concedimus, & impartimur eiſdem Cardinalibus, vt facultatem & auctoritatem eis, vt ſupra conceſſam, & impartitam circa præmiſſa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis videbitur, nunc, & pro tempore exiſtentibus Legatis, vel Prolegatis Auenioneñ, aut Congregationi particulari in Ciuitate Auenioneñ erectæ, ſeu erigendæ communicare liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate & tenore huiuſmodi, de ſpeciali gratia ſimiliter in perpetuò indulgemus, necnon eaſdem præſentes etiam ex eo, quod Collegia ipſa, vel eorum alterum immediatè protectioni huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ forſan ſubiecta ſint, ſeu ſubiectum ſit, & cuicumque in præmiſſis, vel circa ea quomodolibet intereſſe habentes, aut habere prætendentes, præmiſſis non conſenſerint, aut ad ea vacati, & cauſæ propter quas illa fiant coram loci Ordinario, aut quocumque alio Superiore verificatæ, & iuſtificatæ non fuerint, aut quouis alio prætextu quantumuis legitimo, & iuridico de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut quouis alio defectu notari, vel impugnari numquam poſſe, ſed eas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, nec eas ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, aut limitationibus pro tempore quomodolibet etiam motu ſimili, ac ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine factis, & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties eas reuocari, vel limitari, aut ſuſpendi, ſeu

Facultas circa adminiſtrationem redditũum, iuriſdictionum, &c.

Facultas delegandi circa præmiſſa.

eis

eis derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe, & fore, ſicq; & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, Sediſq; Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, etſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocirca dilectis filijs Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Prolegato Auenionen. necnon Officiali Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Auenionen. per Apoſtolica ſcripta Motu pari mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte DD. Cardinalium negotio Propagationis Fidei, vt præfertur, præpoſitorum, ſeu aliorum ab eis deputatorum, vel deputandorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, dictoſq; Cardinales, ſeu ab eis deputatos, ſeu deputandos illis pacificè frui, & gaudere, nó permittentes eos deſuper per quoſcumque directè, vel indirectè quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, legitimis ſuper his habendis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, non obſtantibus dictorum Collegiorum fundationibus, & erectionibus, quatenus in aliquo obſtent, quorum, ac litterarum ſuper his confectarũ tenores, ac Datas eiſdem præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas, quis auctoritate earumdem præſentium ad iudicium non trahatur, necnon noſtra de Iure quæſito non tollendo, & quatenus opus ſit piæ memoriæ Pij Papæ IIII. etiam prędeceſſoris noſtri de gratijs intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus quomodolibet, in eadem Camera regiſtrandis, & inſinuandis, alioquin non valeant, alijſq; Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, Synodali-

dalibus, & Vniuerſalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Collegiorum prædictorum, & eorum cuiuſlibet etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, Collegijs præfatis, & eorum cuilibet, necnon ipſorum, & cuiuſlibet eorũ Magiſtris, Doctoribus, Scholaribus, alijsq; Superioribus, & perſonis etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam Conſiſtorialiter in contrarium forſan per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedis Apoſtolicæ de latere Legatos, & Vicelegatos quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis, aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſpecialiter, & expreſsè motu pari derogamus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſubiectionis, ſubmiſſionis, conceſſionis, impartitionis, indulti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXXIX. 4. kal. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno Sextodecimo.

M. A. MARALDVS.

Alumnatus Abyſſinorum, & Bragmanorum D.Card. S.Honuphrij.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ONeroſa Paſtoralis officij cura nobis, meritis licèt imparibus, diuinitus demandata, ad ea potiſſimum procuranda nos iugiter impellit, per quæ exterarum nationum, ſub infidelibus Principibus, non corporum ſeruitutem tantum, ſed quod miſerrimum eſt animarum captiuitatem ſuſtinentium; iuuenibus fœdiſſimis ignorantiæ tenebris obuolutis, ad pietatem, & optimos mores, ac diſciplinas, ſacrasq; litteras, quibus mundus illuminatur capeſſendum, mediantibus nouorum Alumnatuum in hac noſtra Vrbe, cæterarum omnium magiſtra erectionibus, aditus aperiatur: hoc medio illis in Fidei Catholicæ, huiusq; ſanctæ Sedis cultu educatis, & inſtructis, ac ad eorū Regiones poſtea reuerſis, frangendi illic eſurientibus panem ſuum ſpirituale, ſemitamq; rectam per quam ambulent, veritatisq; lumen, & ſalutis viã edocendi, religionemq; Catholicam in longinquis partibus, & earū efferatis gentibus reſtituendi, & propagandi poſſibilitas non negetur. Vnde S.R.E. Cardinalium, præſertim nobis ſanguine coniunctorū, in id facultates ſuas, etiam cum non modico eiuſdem Vrbis decore, liberali manu erogare intendentium; votis non ſolùm Apoſtolici fauoris ſuffragium vltrò adhibemus: ſed etiam in tam eximiæ pietatis operis remunerationem, eos, eorumq; poſteros condigna honoris prærogatiua decoramus, aliasq; deſuper diſponimus, & ordinamus prout rerum, perſonarum, & temporum qualitatibus debitè conſideratis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem ſeu nuper, Nos votis dilecti filij noſtri Fr. Antonij Barberini tituli tunc S.Honuphrij, nunc verò S.Petri ad Vincula presbyteri Cardinalis, S.Honuphrij nuncupati, Noſtri ſecundum carnem fratris germani, Maioris Pœnitentiarij, & Bibliothecæ Apoſtolicæ Præfecti, vnuſque ex eiuſdem S. R.E. Cardinalibus ſuper negotijs de Fide Catholica Propaganda deputatis, annuere volentes; vnum Alumnatum pro duodecim pro tunc Alumnis, certis modo, & forma tunc expreſſis, qualificatis, & ex Georgianorum, & Perſarum, ac Neſtorianorum,

rum,

rum, necnon Iacobitarum, & Melchitarum, atque Cophtarum nationibus, duobus videlicet pro qualibet oriundis in Collegio de Propaganda Fide huius Almæ Vrbis, perpetuò ereximus, & inſtituimus, eiq; ſic erecto, & inſtituto pro illius Alumnorum ſuſtentatione, aliorumq; onerum ſupportatione, redditus annuos per dictum Fratrem Antonium Cardinalem aſſignatos,& tunc expreſſos, etiã perpetuò conceſſimus,& aſſignauimus, ac ius nominandi Alũnos prædictos,eidem Fratri Antonio Cardinali, & certis alijs tunc expreſſis perſonis, ſub certis modo,& forma etiam tunc expreſſis, ſimiliter perpetuò reſeruauimus,conceſſimus,& aſſignauimus,aliaque decreuimus, & ſtatuimus, prout in noſtris ſub datum videlicet x. kalend. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno quartodecimo,confectis litteris pleniùs continetur. Cùm autem ſicut nobis nunc innotuit idem Frater Antonius Cardinalis, ſanctiſſimum, & dictæ Romanæ Eccleſiæ vtiliſſimum eiuſdem Congregationis opus per amplius promouere deſiderans, alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum pro Aethiopica,ſiue Abyſſina, & Bragmana Indiarum Orientalium, & in earum defectum Armena nationibus, quas non minori operariorum Eccleſiaſticorum, quam priores ſex Nationes ſupra expreſſas penuria laborare conſpexit, etiam fundare, eidemq; competentem dotem aſſignare, necnon ius nominandi ſibi, & alijs, vt infra,reſeruare intendat, ſeu dotem huiuſmodi iam forſan aſſignauerit. Nos tam pium opus quantum in Nobis eſt confouere, & ad optatum finem perducere ſinceris affectibus deſiderantes, & eiuſdem Fratris Antonij Cardinalis ſanctum propoſitum huiuſmodi plurimum in Domino commendantes, noſtrarumq; litterarum, prædictarum tenores etiam veriores,ac Dat. præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicuius deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraq; deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in dicto Collegio de Propaganda Fide vltra alios iam ibi erectos, & inſtitutos, etiam vnum alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum, ſeptem videlicet pro Aethiopicæ,ſeu Abyſſinæ: ſex aliorum verò pro Bragmanę Indiarum Orientalium nationum, huiuſmodi Alumnis bonæ complexionis, ac mente, & corpore ſanis, ſine vllo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec maioribus viginti, ſeu viginti vnius annorum in Latina, vel Italica lingua aliquo modo introductis, ita tamen vt ſi aliquando contingat, aliqua vice non poſſe ex altera Nationum huiuſmodi pro explendis aliquibus, ſeu pluribus, vel etiam omnibus eius locis va-

Erectio Alumnatus.

Numerus Alumnorũ, & nationes, ex quibus aſſumũtur: & requiſita eorundem.

Prouiſio in euẽtũ, quod Alũni haberi nequeant.

cantibus per triennium, à die vacationum huiuſmodi Alumnos haberi, elapſo dicto triennio in locum vacantem, ſeu loca vacantia, huiuſmodi alij Alumni, alterius ex duabus Nationibus prædictis pro illa vice tamen dumtaxat, toties, quoties caſus euenerit, & ſi per triennium huiuſmodi locus vacans, ſeu loca vacantia, per neutrius Nationis huiuſmodi Alumnos impleri nequierit, vel nequierint, tunc & eo caſu, Alumni Nationis Armenæ ad illum, vel illa aſſumantur, & admittantur, hoc tamen inter Alumnos Nationis Armenæ prædictæ, prælationis ordine ſeruato, quòd videlicet primo illi, qui Poloniam, & Ruſſiam, & deinde qui Conſtantinopolim, & poſtea, qui Præcopenſem Tartariam, & ſucceſſiuè, qui Georgiam, demum vero qui maiorem, & minorem Armeniam, & Perſiam incolunt, ſeu inhabitant, in Alumnos huiuſmodi aſſumantur: qui quidem tam Aethiopicæ, ſiue Abyſſinæ, & Bragmanæ, quàm Armenæ Nationum huiuſmodi, omnes & ſinguli Alumni prædicti, ſub Rectoris diſciplina & regimine, necnon ſub regulis, & Conſtitutionibus dicti Collegij de Propaganda Fide, eo modo quo cæteri illius Alumni, qui de præſenti in ipſo Collegio educantur, nulla prorſus inter eos conſtituta differentia, viuere, & Bragmani videlicet iuramentum à dicta Congregatione Alumnis Pontificijs præſcriptum, eo modo quo iacet, Aethiopici verò, ſeu Abyſſini, & Armeni cum infraſcripta moderatione, quòd Aethiopici, ſiue Abyſſini, ſcilicet Sancti Antonij, & ſancti Macharij, Armeni verò ſancti Antonij tantùm Religiones reſpectiuè ingredi, & in eis profiteri poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, illiq; ſic erecto & inſtituto, pro eius dote, & illius Alumnorum pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque, & incumbentium ſupportatione, redditus annuos, & perpetuos, per eundem Fratrem Antonium Cardinalem ad eum effectum, vt præmittitur aſſignatos, ſeu aſſignandos, & è manibus ipſius Fratris Antonij Cardinalis quoad erit, ſeu ab eo deputati capiendos, & exigendos, tot videlicet loca Montium non vacabilia de Vrbe, ex quibus ad minus octingenta, & quadraginta tria annua ſcuta percipiantur, dicta auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus, ac pro tempore exiſtentibus Alumnatus ſic nouiter erecti, huiuſmodi Alumnis, alijsq; perſonis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, liberalitatibus, exemptionibus, gratijs, & indultis vniuerſis, quibus alij dicti Collegij Alumni in eo nunc, & pro tempore degentes, de iure, vſu, conſuetudine, priuilegio, aut aliàs pro tempore quomodolibet vtuntur, fruun-

Alumni Regulis, & Rectori Collegij de Prop. Fide ſubijciuntur.

Iuramētum Alumnorū:

Dotis aſſignatio.

Priuilegia Alumnatus.

fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, gaudere poterunt, quomodolibet in futurum ſimiliter, & pariformiter, ac ſine vlla prorſus differentia, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æquè principaliter vti, frui, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valeant, auctoritate & tenore præmiſſis, ſimiliter perpetuò de ſpeciali gratia indulgemus. Præterea ius nominandi Alumnos prædictos ex Aethiopica, ſiue Abyſſina, & Bragmana, ſeu Armena nationibus, vt ſuprà oriundos, ac iuxtà modum, & formam ſupradictos, & non aliàs, ſub pœna nullitatis nominationum huiuſmodi, eo ipſo ad tredecim pro nunc, & ſi aliquando illa tractu temporis augeri contingat, etiam ad alia ſic aucta loca, Alumnatus nouiter erecti prædicti, tam in hac prima vice, à primæua illorum erectione, & inſtitutione huiuſmodi, quàm aliàs pro tempore quouis modo vacantia in locis huiuſmodi, præuia tamen diligenti inquiſitione per Cardinales à prædicta Congregatione de Propaganda Fide deputandos facienda ſuper eorum qualitatibus, vt ſuprà requiſitis, & quòd illæ in eis concurrant, per eiuſdem Congregationis Cardinales prædictos, ad prædictam nominationem, & non aliàs confirmandos, ſeu inſtituendos, ac ponendos, & collocandos, dicto Fratri Antonio Cardinali donec vixerit, eo verò defuncto dilectis filijs noſtris Franciſco S. Laurentij in Damaſo Barberino nuncupato, dictæ S. R. E. Vicecancellario, & Antonio S. Agathæ Diac. reſpectiuè nuncupatis Cardinalibus, eiuſdem S. R. E. Camerario, noſtris ſecundum carnem ex fratre germano nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant; ipſis verò deficientibus, Cardinali ſi tunc, vel quandocumque aderit de familia noſtra Barberina, ex linea dilecti filij Nobilis viri Thaddæi Barberini, noſtri etiam ſecundum carnem ex fratre Nepotis, Vrbis Præfecti, & Principis Præneſtinæ, deſcendenti, & in defectum Cardinalis, Prælato, & non exiſtente Prælato, perſonæ Eccleſiaſticæ de eadem Familia deſcendenti, & ſi fortè caſus euenerit, quòd eodem tempore extent plures Cardinales de eiuſdem Thaddæi Præfecti, & Principis Familia, & deſcendentia, omnibus illis æqualiter, ita tamen, vt nominatio ab ipſis per turnum, & alternatim fiat: exiſtentibus verò pluribus Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, illi ſoli, qui maiorem obtinuerit Prælaturam, & inter æquales, qui ætate maior erit, in defectum verò Cardinalium, & Prælatorum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum de linea dicti Thaddæi Præfecti, & Principis, tunc ipſi Thaddæo Præfecto, & Principi, eoq; non exiſtente, vel quandocumque deficiente, vocatis, & comprehenſis in iure ſucce-

Ius nominandi Alumnos.

Cõfirmatio Alumnorũ.

ſuccedendi per nos ordinato, ita vt inter omnes ſic ſuprà nominatos, quoties caſus euenerit aſſumptioni, & reaſſumptioni iuris nominandi huiuſmodi, ſemper locus ſit: auctoritate huiuſmodi, perpetuò quoque reſeruamus, concedimus, & aſſignamus. Prætereà dicto Antonio Cardinali quoad erit, & eo defuncto, prædictæ Cõgregationi de Propaganda Fide, tam per præſentes ſic nouiter erecti, quàm alterius per dictum Fratrem Antonium Cardinalem, vt præmittitur, fundati, & per Nos in alijs noſtris litteris ſupradictis inſtituti, Alumnatuum huiuſmodi cuius ius nominandi, etiam ſemper ſaluum ſit, vt præmittitur, omnimodam protectionem, regimen, gubernationem, ac plenam ſuperintendentiam, ita vt tam ipſi Antonio Cardinali quoad vixerit, quàm poſt eius obitum dictæ Congregationi, liceat corporalem poſſeſſionem locorum Montium aſſignatorum, aut aſſignandorum tàm prædicto Priori Alumnatui, quam huic poſteriori, propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque ex eis prouenientia, percipere, exigere, leuare in dictorum Alumnatuum vſus, & vtilitatem conuertere, Vicarij Vrbis, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita, necnon facultatem amborum Alumnatuum huiuſmodi locorum vacantium redditus in Monte Pietatis de Vrbe deponendi, & in neceſſitates eorum Alumnorum impendendi, vel ijs ceſſantibus, ad hoc vt numerus Alumnorum arbitrio dictæ Congregationis, habendæ coram Romano Pontifice pro tempore exiſtente tantùm augeri poſſit, inueſtiri, mandandi, ac deputandi in Rectorem dictorum duorum Alumnatuum per eius parentes, Rectorem pro tempore dicti Collegij, cuius curæ immediatè ſubſint eorum Alumni, quique prædictæ Congregationi, ſeu ab ea deputando, ſingulo trimeſtri rationem dati, & recepti reddere debeat, & inſuper curandi, vt miniſtri, & ſeruientes Alumnatui prædicti Collegij de Propaganda Fide etiam Alumnis prædictorum duorum Alumnorum miniſtrent, & inſeruiant, exceptis duobus Præfectis pro Alumnis prædictorum duorum Alũnatuum ab eodem Fratre Antonio Cardinale dum vixerit, & poſt eius mortem ab eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide deputandis, qui Præfecti, vt ſuprà deputandi, inter cæteras qualitates habiles ſint ad docenda prima rudimenta Grammaticæ Latinæ Alumnis prædictorum duorum Alumnatuum, idq; efficere teneantur, donec prædicti Alumni ſcholas publicas adire, & frequentare valeant, ſimili auctoritate itidem perpetuò tribuimus, &

Protectio, & ſuperintẽdentia Alũnatus.

Protectoris facultas.

Rectoris Collegij deputatio, & onus quoad rationes dati, & accepti.

Præfecti duo magiſtri Grammaticæ.

impartimur, decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, ac eaſdem præſentes, vllo vmquam tempore, ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, & reſtringi, limitari, aut in ius vel controuerſiā vocari, ſeu ad terminos iuris reduci non poſſe, ſicq; per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, Clericos, & S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, ac Vicecamerarios, necnon cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritū, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Vrbis Gubernatori, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon noſtro in eadem Vrbe, eiusq; diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta, quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc, & pro tempore intereſſe habentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi, ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac nunc, & pro tempore intereſſe habentes, prædictis illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſęcularis, non obſtantibus alijs noſtris litteris prædictis, ſi in aliquo huic noſtræ gratiæ conformes non ſint, aut contrarientur, necnon noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, & quibuſuis alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Collegij & Vrbis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis prædictæ Cōgregationi, & quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, eorūq; Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & alijs perſonis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenori-

nori-

noribus,& formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus,& inſolitis clauſulis,necnō irritantibus,& alijs decretis in genere,vel in ſpecie,etiā motu,ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, aut aliàs quomodolibet in contrarium conceſſis, approbatis,& innouatis, quibus omnibus,& ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione,de illis,eorumq; toti tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes,mentio,ſeu quęuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè, Motu huiuſmodi derogamus, contrarijs quibuſcumque,aut ſi quibuſuis communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint,per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionē. Volumus autem,quòd præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Congregationis, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio,& extra vbicumque opus fuerit,quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, applicationis,appropriationis,indulti, impartitionis, reſeruationis,conceſſionis,aſſignationis,tributionis,decreti,mandati,derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius,ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S.Mariam Maiorem,Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXXIX. vndecimo kalend.Iulij, Pontificatus Noſtri Anno ſextodecimo.

E. DAT.

Viſa de Curia.

Petrus Gentilis.

Alphonſus Vidaſcus.

Petr. Ciampinus.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Pro

Pro Collegio, ſeu Seminario S. Norberti Ciuitatis Pragenſis, Ordinis Præmonſtratenſis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ALtitudo diuinæ prouidentiæ, à qua bona & ſancta opera cuncta procedunt, ea ſuorum fidelium animis quandoque ſuggerit, quæ ad Collegiorum inſtitutionem, & adoleſcentium litteris incumbere volentium congruam manutentionem, & inſtitutionem noſcuntur pertinere. Vnde Nos, quibus ab eodem Prouidentia ſacroſanctæ militantis Eccleſiæ regimen eſt commiſſum, conſiderantes quantum eidem Eccleſiæ, totiq; Reipublicæ Chriſtianæ proſit iuuentuti, cuius conatibus rei familiaris nonnumquã obſtat anguſtia commoditatem applicandi ſeſe ad bonarum artium ſtudia præberi, pias ipſorum fidelium voluntates ad id tendentes, vt votiuos ſortiantur effectus, libenter cum à nobis petitur, Apoſtolici fauoris ſuffragio proſequimur, ac in his officij noſtri partes fauorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire; ſanè pro parte dilecti filij Gaſparis à Quenemberg Abbatis Monaſterij Abbatiæ nuncupatus Strahouieñ Prageñ Diœceſis, Præmonſtrateñ Ordinis nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſe pro Fidei Catholicæ propagandæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ in Regno Bohemiæ, quod Catholicorum operariorum laborat inopia, reſtaurandæ zelo ductus, vnum Collegium, ſeu Seminarium ſub inuocatione, ſeu denominatione S. Norberti prædicti Ordinis Canonicis Regularibus, alijsq; Clericis ſæcularibus bonarum litterarum ſtudijs incumbere cupientes, in ea parte Ciuitatis Prageñ, quæ Vrbs vetus appellatur, prope Seminarium, ſeu Collegium Archidiaconum, ſeu Archiepiſcopale nuncupati, à dilecto filio noſtro Erneſto Adelberto Tituli S. Mariæ Angelorum Presbytero Cardinale de Harrach nuncupatus, Eccleſiæ Prageñ ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica Præſule in eadem Ciuitatis Prageñ. parte fundatum, & erectum impenſis hactenus in proximo dicti Seminarij, ſeu Collegij S. Norberti fabricam quadraginta duobus millibus quingentis & ſeptuaginta florenorum monetæ illarum partium pro illa verò perficienda depoſitis, de conſenſu totius Cõ-

Semin. Strahouien. Abbatis à Quinemberg.

Seminarium S. Norberti pro Canonicis Præmõſtratenſ. & pro Clericis ſecularibus.

uentus,& Capituli Canonicorum Regularium dicti Monaſterij alijs
Dos Seminarij. ſex millibus florenis eiuſdem monetæ fundauit,& erexit, illiq; pro dote, & illius Rectoris, & Alumnorum, aliorumq; miniſtrorum ſuſtentatione, & manutentione ſummam quinquaginta millium Talerorum Bohemicorum, ac alia dua millia annua ſimilium Talerorum, quæ ex datio ſalis Bohemiæ ad eius Religionem ſpectat, necnon quoddam prædium, ſeu prædia Ciuitati Prageñ prædictæ vicinum, ſeu vicina iuxta ſuos fines, in inſtrumento deſuper celebrando latius exprimendos, ab ipſo Gaſpare Abbate, ſeu in euentum eius obitus à ſuó ſucceſſore pretio ſexdecim millium florenorum ad ipſum ſolum finem, & effectum ex nunc depoſitorum in prædicta moneta emendum, ſeu emenda ex tunc, prout poſtquam emptum, ſeu empta fuerint de prædicto Conuentu attribuit, & aſſignauit.
Alumnorũ numerus. In quo quidam Collegio, ſeu Seminario Sancti Norberti huiuſmodi deinceps perpetuò viginti ad minimum Alumnos ſtudioſos, videlicet decem Canonicos Regulares ex profeſſis dicti Monaſterij Strahouieñ, ſeu in eorum defectum ex perſonis aliorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum eiuſdem Ordinis in dicto Regno Bohemiæ pro tempore exiſtentem, ac alios ad minimum decem ſæculares bonæ ſpei iuuenes ſtudijs aptos, atque ad ſtatum Eccleſiaſticum in eiuſdem Regni ſolatium animum exploratum habentes recipi, degere, ali, veſtiri, ac honeſtæ ex prædictæ dotis fructibus, redditibus, & prouentibus ſuſtentari, ipſosq; Alumnos, & alios eiuſdem Seminarij, ſiue Collegij
Eorumdem obligatio qũo ad ſtudia,eorũq; magiſtros. S.Norberti pro tempore inquilinos ad frequentandum Scholas, & lectiones dicti Seminarij, ſeu Collegij Archidiaconi per prædictũ Erneſtum Adalbertum Cardinalem, vt prefertur erecti dumtaxat omnino teneri voluit,his tamen conditionibus,videlicet,quamdiu in Seminario, ſeu Collegio Archidiacono huiuſmodi vigebunt, prout vigent ad præſens humanarum litterarum, ac Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ ſcholæ, ac diſciplinæ eorum profeſſores ex antiquioribus Ordinibus regularibus ante ducentos annos à Sede Apoſtolica approbatos, vel alias ex voto Prælatorum, ſeu Capitum eorumdem Ordinum aſſumentur, necnon quamdiu in prædictum Seminarium, ſiue Collegium Archidiaconum, ſub manu, & directione dicti Erneſti Adalberti Cardinalis, eiuſque in Eccleſia Prageñ ſucceſſorum Præſulum, eo quo cæptum eſt modo, & inſtituto, ac ſi ſub huius Sanctæ Sedis, & Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotio Propagandæ Fidei præpoſitorum protectione

ctione gubernabitur, ſaluo etiam reſpectiuè, quòd ſi poſt ædificatum Seminarium Sancti Norberti prædictum, contigerit ob loci contiguitatem, & mutuum hinc inde commodum, Scholas humaniorum litterarum prædictarum dumtaxat, quæ nunc omnes per Canonicos Regulares prædicti Ordinis Præmonſtratenſis docentur transferri legitimè à prædicto Archidiacono in dictum Seminarium, ſiue Collegium Sancti Norberti, eo caſu nihilominus Scholæ prædictæ ſic tranſlatæ pro Scholis Archiepiſcopalibus, ſicut ante tranſlationem haberi, & cenſeri perpetuò debeant, perinde ac ſi illarum tranſlatio huiuſmodi minimè facta fuiſſet. Cæteroquin poſt tranſlationem ſemel factam, inde non amoueantur amplius. Ius verò nominandi, recipiendi, & amouendi ex cauſa Alumnos viginti prædictos, ac ipſiuſmet Seminarij Sancti Norberti proprietatem, eiuſq; adminiſtrationem idem Gaſpar Abbas ſibi, ſuiſque in dicta Abbatia Strahouień Abbatibus ſucceſſoribus canonicè intrantibus, ac Ordinem Præmonſtratenſem prædictum expreſsè profeſſis planè, & perpetuò, ſaluis tamen ſupra, & infra contentis reſeruauit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dictus Gaſpar Abbas erectionem, fundationem, & dotationem Collegij, ſeu Seminarij Sancti Norberti huiuſmodi, aliaq; præmiſſa quo firmiùs ſubſiſtant, & à pro tempore futuris dicti Monaſterij Strahouień Abbatibus, ſeu illius Conuentus immutari, reſcindi, vel alterari nullatenus poſſint Apoſtolica auctoritate comprobari, & confirmari ſummopere deſideret. Nos ipſum Gaſparem Abbatem ſpecialibus fauoribus & gratijs, &c. cenſentes ſupplicationibus eiuſdem Gaſparis Abbatis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de prædictorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, erectionem, & fundationem Collegij, ſeu Seminarij Sancti Norberti huiuſmodi, cum omnibus & ſingulis præmiſſis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tàm iuris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Ac inſuper Collegium, ſiue Seminarium Sancti Norberti huiuſmodi ſub noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, dictæque Congregationis protectione recipimus, & prædicto Abbati, & Monaſterio, ſeu Congregationi Præmonſtratenſi prædicta omnia, & ſingula abſque expreſſo conſenſu noſtro,

Ius nominandi Alũnos, eosque admittendi, ac amouẽdi.

Seminariũ confirmatur.

ſtro, ac eiuſdem Sacræ Congregationis Cardinalium retractandi, immutandi, & alterandi, ſeu circa ea aliter diſponendi, & diſpenſandi omnem facultatem, & auctoritatem, non tamen ampliandi modo adimimus: ita tamen, vt ſi temporum iniuria, (quod Deus auertat) dotatio & pecuniæ prædictæ, ſeu illarum fructus, redditus, & prouentus deperirent, minuerentur, aut non ſufficerent; dictum Monaſterium Strahouienſem ad illorum reſtitutionem augumentum, vel ſupplementum nullo modo teneatur, ſed ſemper ab his exemptum & indemne ſit, & conſeruetur.

Seminarij priuilegia, atque exceptiones.

Necnon eidem Collegio, ſeu Seminario Sancti Norberti, illiusq; Rectori, Scholaribus, Collegialibus, Alumnis, Officialibus, & Miniſtris omnia, & ſingula priuilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, cæteraſq; gratias, tam ſpirituales, quàm temporales Collegio, ſiue Seminario Archidiacono, ſiue Archiepiſcopali prædicto per nos conceſſa, & conceſſas quibuſq; idem Collegium Sancti Norberti, illiusq; Rector, Scholares, Alumni, Collegiales, Officiales, & Miniſtri prædicti, non ſolùm ad inſtar, ſed æquè principaliter vti, frui, & gaudere poſſint eiſdem auctoritate, & tenore communicamus, ſaluis tamen quoad Alumnos Seminarij, ſeu Collegij huiuſmodi, qui erunt dicti Præmonſtratenſis Ordinis eorum regula, & inſtitutis Regularibus Ordinis huiuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmatis, quibus in aliquo per communicationem huiuſmodi, quatenus quoquo modo illis repugnet, vel aduerſetur, derogare non intendimus, ſed illa ſeruari omninò volumus. Cæterum ne ſuccedente obitu dicti Gaſparis Abbatis fabrica, aut etiam dotatio reſpectiuè dicti Seminarij Sancti Norberti imperfecta remaneat: omnibus, & ſingulis dicti Monaſterij Abbatibus pro tempore futuris, ſub excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, aliiſq; noſtris, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio pœnis, diſtrictè prohibemus, ne prædictas ſex millium florenorum, item alios ſexdecim millium florenorum ſummas ad effectus ſupradictos deſtinatas, ſeu deputatas à prædicto Gaſpare Abbate, caſu quo ipſe moriatur, in alios vſus impendant, vel conuertant, ſeu impendere, vel conuertere præſumant.

Prohibitio, ne Abbates Strahouien. pecunias Seminario aſſignatas in alios vſus inſumant.

Inſuper præcipimus, vt prouentus Seminarij huiuſmodi, qui factis ſumptibus neceſſarijs ſingulis ſuperfuerint, in tot Alumnis alendis, aut in alijs eiuſdem Seminarij neceſſitatibus, & non aliter, nec alio modo inſumi debeant.

Quo

Quo circa dilecto filio noſtro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Iudici nunc, & pro tempore à dictis Fratribus noſtris pro negotijs prædictæ Congregationis deputato, per eoſdem præſentes iniungimus, quatenus ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios, de conſenſu eorumdem Fratrum noſtrorum deputatorum, ſeu deputandos, eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Gaſparis Abbatis, ac Rectoris Alumnorum, Scholarium, ac Officialium prædictorum fuerit requiſitus ſolemniter publicans, illisq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac præfatis illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; permiſſa iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio bracchij ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterij Ordinis, & Ciuitatis prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis Vniuerſitatibus, Collegijs, ac eorum Rectoribus, & perſonis etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus pro eorum ſufficienti derogatione, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruanda foret, tenore huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contra-

rijs

rijs quibuſcumque, aut ſi quibuſuis communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegij, ſeu Seminarij Sancti Norberti, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xxx. Iulij, M. DC. XXXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſexto.

M. A. MARALDVS.

Semi.

Seminarij Archiepiſcopalis Pragenſis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in ſupremo Militantis Eccleſiæ ſolio diuina diſpoſitione conſtitutus, Catholicorum Antiſtitum ex Paſtoralis eorum officij debito geſta, rectam præſertim Adoleſcentium in bonis litteris, & diſciplinis Eccleſiaſticis inſtitutionem: quæ ad Orthodoxæ Fidei, diuiniq; cultus conſeruationem & augmentum plurimum facere dignoſcitur, concernentia, quo firmiùs ſubſiſtant, libenter Apoſtolicæ Confirmationis præſidio corroborat, ac fauoribus & gratijs proſequitur opportunis, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Sanè pro parte dilecti filij noſtri Erneſti Adalberti, Tituli S. Mariæ Angelorum Presbyteri Cardinalis de Harrach nuncupati, Eccleſiæ Pragenſis ex conceſſione & diſpoſitione Apoſtolica Præſulis, Nobis nuper expoſitum fuit, quòd ipſe, vt penuriæ Sacerdotum in Diœceſi ſua vigenti, eo faciliùs & citiùs conſuli poſſit, Seminarium ſeu Collegium Clericorum, in Domo Aula Regia nuncupata, in antiqua Ciuitate Pragenſi ſita, ſecundum Decretorum Sacræ Synodi Tridentinæ diſpoſitionem, fundauit & erexit; eiq; de Dote competenti, tum ex proprijs ſuis bonis, tum ex Eleemoſynis & Legatis pijs, tum ex Cenſu Salis Cleri Bohemiæ, de licentia Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei Præpoſitorum, tum ex Contributionibus Rectorum Parochialium Eccleſiarum Regni Bohemiæ, ſufficienter prouidit: ac vt Alumnis in Seminario ſeu Collegio huiuſmodi educandis, nulla earum facultatum deſit, quas ſcire Clericos conuenit, Scholas illic tam Humaniorum litterarum, quàm aliarum ſcientiarum, à Regularibus Ordinum antiquiorum, ante ducentos annos ab Apoſtolica Sede approbatorum, vel idoneis Sacerdotibus Sæcularibus tantùm docendarum, & profitendarum inſtituit, ita tamen vt exteris etiam pro eorum libitu ad Scholas huiuſmodi frequentandas liberè pateat acceſſus. Et inſuper ſibi & ſuis ſucceſſoribus dictæ Eccleſiæ Pragenſis Præſulibus plenam in gubernando Seminario, ſeu Collegio præfato auctoritatem, iuxta tenorem Conſtitutionum

Seminarij Pragenſis fundatio.

pro

pro bono ipſius Seminarij ſeu Collegij regimine & gubernio editarum, reſeruauit, & aliàs prout in ſcripturis ſuper præmiſſis confectis pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dictus Erneſtus Adalbertus Cardinalis, præmiſſa, ne à ſuis Succeſſoribus præfatis, aut alio quocumque quauis ratione alterari, negligi, vel immutari vnquam poſſint, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis patrocinio communiri, & aliàs deſuper, vt infra, opportunè prouideri ſummopere deſideret. Nos pium ipſius Erneſti Adalberti Cardinalis zelum, Paſtoralemq; ſollicitudinem plurimum in Domino commendantes, eiuſq; votis huiuſmodi, quãtum cum eodem Domino poſſumus, benignè annuere volentes: Supplicationibus eiuſdem Erneſti Adalberti Cardinalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Fratrum noſtrorum conſilio, præmiſſa Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illisq; perpetuæ inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui in illis quomodolibet interuenerint, ſupplemus; necnon Alumnis dicti Seminarij, ſeu Collegij pro tempore exiſtentibus, quo expeditiores & alacriores ad ſubueniendum Sacerdotum in dicta Diœceſi penuriæ efficiantur, vt eo temporis ſpatio, quo in Seminario, ſeu Collegio huiuſmodi ſeſe continuerint, & Superiorum iudicio in litterarum, & ſcientiarum præfatarum ſtudijs ac diſciplinis Eccleſiaſticis profecerint, ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, etiam ſine litteris Dimiſſorialibus, niſi habeant Epiſcopos proprios, à quibus illæ obtineri poterint, cum ad dictum Seminarium ſeu Collegium dirigentur, & ſine beneficij Eccleſiaſtici, aut Patrimonij titulo, ſed ad titulum Miſſionis, ac etiam extra legitima Ordinationum tempora, dummodo tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoueri poſſint & valeant; ijdemq; ſic ad Ordines promoti, in originalibus Eccleſijs, cum Beneficia, Perſonatus, dignitatesq; earum vacare contigerit, tam in Romana Curia, quàm apud Ordinarios proprios, & Capitula, alijs omnibus, cæteris paribus, anteferri debeant, & ſecus factæ prouiſiones, irritæ & inanes ipſo iure exiſtant, auctoritate & tenore præfatis de ſpeciali gratia indulgemus. Et inſuper eidem Seminario ſeu Collegio, ac illius Alumnis, Rectoribus, & Gubernatoribus, ac Miniſtris, omnia quæcumque Priuilegia, Exemptiones, Libertates, Facultates, & Indulta, quibus Studium Generale Almæ Vrbis, & illius Rector, Doctoresq; in eo legentes, aliaq; Collegia quarumcumque Nationum & Seminariorum,

Confirmatio Seminarij.

Alumnorũ priuilegium quo ad Ordines, & Beneficia, & Dignitates.

Alia priuilegia Seminarij.

rum,tàm in eadem Alma Vrbe,quàm extra illam per præfatos noſtros Romanos Pontifices inſtituta,vtuntur,potiuntur, ac gaudent, ac vti,potiri,& gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quibusq; Seminarium, ſeu Collegium Alumni, Rectores, & Gubernatores huiuſmodi, non ſolum ad eorũ inſtar, ſed etiam æquè principaliter vti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia dicta auctoritate communicamus. Præterea Regentibus,& Superioribus dicti Seminarij ſeu Collegij, cum aſſiſtentia tamen dicti Erneſti Adalberti Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Pragenſis, ac de eius conſilio & expreſſo conſenſu, Alumnos quos in dicto Seminario ſeu Collegio, & alibi, per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint in præfatis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratusque, & Magiſterij gradus, ſeruata forma Concilij Viennenſis,iuxta Vniuerſitatis Almæ Vrbis conſuetudinem,ſeu aliàs promouendi,& ipſorum Graduum ſolita Inſignia exhibendi, eisq; in Facultatibus præfatis ſic promotis, quòd publicè & priuatim tã in præfato Collegio,quàm quibuſcumque alijs Vniuerſitatibus Studiorum Generalium,& vbique, Facultates in quibus Gradus huiuſmodi ſuſceperint, docere, aut illas legitimè interpretari, ac de eis diſputare, & quoſcumque gradus, ſeu gradibus huiuſmodi conuenientes actus exercere, ac omnibus & ſingulis Priuilegijs,gratijs,fauoribus, prærogatiuis,& indultis,quibus alij in præfata,ſeu alijs Vniuerſitatibus, & alibi, iuxta illius & aliarum Vniuerſitatum huiuſmodi Conſtitutiones & mores ad Gradus præfatos promoti, de iure vel conſuetudine vtuntur,potiuntur & gaudent, vti, potiri,& gaudere poſſint & debeant, perinde ac ſi dictos gradus in ipſa Vniuerſitate, iuxta cõſuetudines & mores præfatos ſuſcepiſſent, concedendi & indulgendi plenam & liberam facultatem & auctoritatem, earundem tenore præſentium concedimus,& impartimur. Vt verò etiam temporalibus commodis ſpiritualia munera addamus, quibus fidelium deuotio & merita creſcere magis & augeri poſſint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Alumnis, qui in dictum Seminarium ſeu Collegium recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, ac deinde in exitu, ſiquidem Confeſſi & contriti, ſacram Communionem deuotè receperint,atque etiam ſi in eodem Seminario ſeu Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum ſuorũ Indulgentiam & remiſſionẽ concedimus & elargimur. Quocirca dilecto filio noſtro S.R.E. Cardinali

Indulgentiæ pro Alũnis.

M j Iudi-

Iudici, nunc, & pro tẽpore à præfatis Fratribus noſtris pro negotijs Cõgregationis de Propaganda Fide deputato, per eaſdem pręſentes iniungimus, quatenus ipſe per ſe, vel noſtrorum deputãdum ſeu deputandos, ipſas præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quãdo opus fuerit, & quoties pro parte Rectorum & Alumnorum, ac Scholarium huiuſmodi fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illisq́; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter & inuiolabiliter obſeruari, ac Rectores, Alumnos, & Scholares præfatos illis pacificè frui & gaudere; non permittens eos per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq́; opportuna Iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, legitimisq́; ſuper his habendis, ſeruatis Proceſſibus, Sententias, Cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ & Ciuitatis Pragenſis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis Vniuerſitatibus, & Collegijs, eorumq́; Rectoribus & Perſonis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq́; efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & alijs Decretis in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & ex Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumq́; totis tenoribus pro eorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda eſſet, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, formaq́; in illis tradita ſeruata, inſerti eſſent, pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisq́; contrarijs quibuſcumque. Aut ſi quibuſuis communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum

de

de Indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, vt Seminarium ſeu Collegium Ciuitatis Pragenſis præfatum, ſub prædictorum Venerabilium Fratrum noſtrorum, & pro tempore exiſtentium eiuſdem S.R.E. Cardinalium, negotio Propagandæ Fidei Præpoſitorum protectione ſit, & permaneat; illiq; nominationem decem Alumnorum Boëmorum in Seminario ſeu Collegio huiuſmodi recipiendorum, admittendorum, & educandorum habeant. Quodq; præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo Collegij ſeu Seminarij, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxij. Decembris M.DC.XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

Seminarij protectio.

Nominatio decem Alũnorum Boemorum.

M. A. MARALDVS.

Ne fiant Domus, Seminaria, & Collegia cum titulo de Propaganda Fide.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NE noua loca ſub titulo de Propaganda Fide in poſterum vbiuis gentium temere, & inconſulta Sede Apoſtolica erigantur, aut inſtituantur, quantum cum Domino poſſumus opportunè prouidere volentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei huiuſmodi præpoſitorum conſilio, Superioribusq; cuiuſcumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, aut inſtituti, ſub pœnis priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac inhabilitatis ad ea, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium prohibemus, ne Monaſteria, Conuentus, Domos, Seminaria, Collegia, Hoſpitia, ſeu Oratoria ſub titulo de Propaganda Fide conſtruant, aut erigant, vel à ſuis ſubditis conſtrui, aut erigi permittant, ſine ſpeciali eorumdem Cardinalium licentia. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiuſcumque Ordinis, Religionis, Cógre-

gregationis, Societatis & Inſtituti, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio facienda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarij Congregationis dictorum Cardinalium de Propaganda Fide, vel Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti Congregationis huiuſmodi, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xiij. Martij M. DC. XXXX. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſeptimo.

M. A. MARALDVS.

Bulla Erectionis Collegij de Propaganda Fide.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IMmortalis Dei Filius noſtram mortalitatem induere volens, vt tenebras infidelitatis, atque inſipientiæ vmbras deſijceret, quæ hominum animas oppleuerant, veluti Sol fulgentiſſimus eſt exortus, & veræ Fidei igniculos, vbique Terrarum per Apoſtolos, cæteroſque Euangelij præcones, tanquam per nitiſsima Sydera diffundere curauit. Quoniam verò, vel quædam ſuperſunt Regiones, quæ vt penitus locorum intercapedine diſſita, vel barbara feritate diſſociatæ, lumen adhuc Diuinæ legis, ac Fidei minimè exceperunt, aut nonnulla reperiuntur, quibus olim quidem Sacroſancti Euangelij ſplendor affulſit, ſed vel hæreticæ labis tenebris iterum obuolutæ, vel infidelium, Paganorumque impiorum Catholicæ Fidei deſertorum colluuione obrutæ, vel ſi quæ paucæ in Fide permanſerunt, deſerta à Paſtoribus in atra perfidiæ, vel ignorantiæ nocte verſantur, atque deliteſcunt. Idcirco Nobis, qui licet immeritò Diuini, atque increati Solis ſpeciem viſibilem in Terris referimus onus incumbit, vt miniſtri idonei eligantur, qui ad illas Gentes cœcitate ſpirituali captas profecti vitæ probæ, ac morum fulgore micantes, doctrinæ Euangelicæ, ac zelo animarum ardore flagrantes, veluti Candelabra ſuper montium iugis ſita, tenebras tam Infidelitatis, quàm Hæreſeos pro viribus diſſoluant, atque diſſipent. Cum itaque ſicut nobis innotuit dilectus filius Magiſter Ioannes Baptiſta Viues Presbyter Valentiñ Citerioris Hiſpaniæ, in vtraque Signatura noſtra Referendarius, Prælatuſque domeſticus, ac familiaris, & continuus commenſalis noſter, ac dilectæ in Chriſto filiæ Nobilis mulieris Iſabellæ Claræ Eugeniæ Infantis Hiſpaniarum, ac Belgicarum Prouinciarum Principiſſæ, & Gubernatricis, apud Nos, Sedemque Apoſtolicam Ordinarius reſidens Legatus, zelo domus Dei, animarumq; ſa-

Proœmium.

Cauſa Erectionis Collegij.

Supplicatio R.P.D. Viues pro fundatione Collegij.

 lutis,

lutis, ac propagationis, & tuitionis Sanctæ Fidei Catholicæ, alijſque pijs rationibus, & deuotione ductus, Palatium quoddam in Platea Sanctiſſimæ Trinitatis Montis Pincij nuncupatæ de Vrbe, ſub Regione Columnæ, intra ſua notiſſima latera, Plateamque prædictam, ac vias publicas ſitum, aliàs delli Farratini nuncupatum, quod ad præſens inhabitat, vna cum ſuis membris, area, cortile, ſtabulis, remiſſis, vſibus, commoditatibus, adiacentijs, & pertinentijs vniuerſis, ad effectum in illo, illiusque ſitu Collegium, ſeu Seminarium vnum Apoſtolicum Sacerdotum, ſeu Clericorum Secularium, qui ſaltem ad Sacros Ordines maiores, ſeu eorum ad minus aliquem infra annum, à die eorum in illo receptionis computandum, omninò promoueri debeant; & teneantur, ex omni gente, & natione deſumendorum, & per Nos, Romanosque Pontifices ſucceſſores noſtros, pro tempore exiſtentes ad Fidem prædictam, in toto Orbe Terrarum, vniuerſisque illius partibus propagandam, dilatandam, & tuendam perpetuis futuris temporibus, & quouſque Electorum numerus completus, vnusque Paſtor, & vnum Chriſti Ouile facta fuerint, duraturum, ſub Regulis, Legibus, Statutis, Conſtitutionibus, & Ordinasionibus, Nobis, & Succeſſoribus noſtris bene viſis edendis, & ſtabiliendis erigendi, inſtituendi, & creandi, & pro illius dote, ſeu dotis nomine, Alumnorumque in dictum Collegium, ſeu Seminarium pro tempore introducendorum ſuſtentatione, viginti tria Fidei, & triginta Sancti Bonauenturæ, ac quinquaginta Salis reſpectiuè nuncupata loca Montium de Vrbe, vna cum eorum omnibus, & ſingulis fructibus, ac prouentibus inſimul ad quingenta ſexaginta quinque, vel circiter ſcuta monetæ Romanæ, ad rationem decem Iuliorum pro ſingulo ſcuto huiuſmodi annuatim aſcendentia, ac Cenſum annuum aliorum centum quadraginta ſcutorum ſimilium, aliàs ad commodum quondam Diomedis Muſſi Cremonenſis pro ſorte principali duorum millium ſcutorum ſimilis monetæ ſuper bonis quondam Ioannis Franciſci Vgolini, per acta dilecti filij Rinaldi Buratti Curiæ Cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Notarij, ſub die vigeſima nona Aprilis, anni Domini milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti, ad rationem ſeptem pro centenario, & anno conſtitutum, ac poſtmodum ad opus dicti Ioannis Baptiſtæ, per acta dilecti etiam filij Laurentij Bonincontri

Donatio Palatij, & aliorum bonorũ pro conſtruendo, & fundando Collegio.

Curiæ

Curiæ Capitolij Notarij, ſub die ſeptima Auguſti eiuſdem Anni venditum, & ceſſum, ac ad præſens per dilectos filios, natos, & hæredes dicti quondam Ioannis Franciſci ſolui ſolitum, & denique reliqua omnia ſua bona mobilia, & immobilia, præſentia, & futura, pecuniarum ſummas, actiones, & credita, iuraque, & alia quorumuis Montium loca, quæ tempore ſui obitus habebit, & poſſidebit, ſeu ad eum quomodolibet ſpectare, & pertinere dignoſcentur in hac noſtra Vrbe, & illius diſtrictu duntaxat exiſtentia, exceptis tamen tribus millibus ſcutis ſimilis monetæ Romanæ, ad eandem rationem Iuliorum decem pro ſingulo ſcuto huiuſmodi ex promptioribus ſuis bonis mobilibus depromendis, per eum, aliàs in animæ ſuæ refrigerium Hoſpitali, & Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Monte Serrato nuncupatæ etiam de Vrbe, donatione cauſa mortis, ſub die prima menſis Decembris Anni eiuſdem Domini milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quinti, per acta dilecti filij Iacobi Morer Clerici coniugati Elneñ Diœceſis, in Archiuio Romanæ Curiæ deſcripti Notarij legatis, necnon quoad vixerit dicti Palatij, cum præfatis ſuis membris, adiacentijs, & pertinentijs, vſu, & habitatione, ac præfatorum, & aliorum quorumcumque locorum Montium, Cenſuſque prædicti, & reliquorum omnium, tam mobilium, quàm immobilium, præſentium, & futurorum, quouis nomine nuncupatorum bonorum ſuorum vſufructu, & de ſcutis centum auri in auro ad beneplacitum ſuum teſtamentaliter diſponendi facultate ſibi reſeruatis, expenſaque funeralium, & exequiarum ſuarum, iuxta ſtatus ſui exigentiam, & qualitatem dempta Nobis, & Succeſſoribus noſtris Canonicè intrantibus, cum conditione tamen, quod ſi Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi in dicto Palatio, ſuiſque membris, & pertinentijs, cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote, & Alumnorum in eo introducendorum ſuſtentatione aſſignatorum, vita noſtra durante non fundauerimus, erexerimus, vel inſtituerimus, infraſcripta donatio Succeſſori noſtro immediatè ſequenti, ſub eadem conditione, & eo etiam in his deficiente, alijs Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, vt præfertur canonicè intrantibus in infinitum, donec, & quouſque intentio, & pia voluntas dicti Ioannis Baptiſtæ, modo præmiſſo, ſuum plenum ſor-

Reſeruatio vſusfructus ſuorum bonorum ſua vita durãte.

Si Collegiũ non fuerit fundatum per Sanctiſſimum, fundetur per ſucceſſores.

 tia-

tiatur effectum, & non aliàs, nec alio modo facta eſſe cenſeatur, donatione ſpontanea, & irreuocabili, quæ dicitur inter viuos fieri, per acta dilecti filij Chriſantis Roſcioli Fulginateñ, ſimiliter Curiæ Cauſarum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Notarij, ſub die prima menſis Iunij, anni eiuſdem Domini 1626. dederit, donauerit, ceſſerit, & tranſtulerit, & pro obſeruatione Statutorum Vrbis circa inſinuationes ſimilium donationum faciendas editorum ſponte, omniq́ue meliori modo, quo potuit, & debuit, dilectum filium Subſtitutum dilecti filij Commiſſarij generalis Cameræ noſtræ prædictæ, ad ſpecialiter, & expreſsè Donationem, Ceſſionem, & Tranſlationem prædictas, coram quouis Ordinario, vel alio Romanæ Curiæ Iudice, & coram quibus opus eſſet ſuo nomine inſinuandas, ſignificandas, & notificandas Procuratorem ſuum fecerit, & conſtituerit. Nobiſq́ue præterea tenore dicti Inſtrumenti, quatenus Donationem, Ceſſionem, & Tranſlationem huiuſmodi pro illarum maiori ſubſiſtentia, & perpetua roboris firmitate, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmare, & approbare, omneſq́ue tam formales, & ſubſtantiales, quàm alios, quoſuis, tam Iuris, quàm Facti defectus, qui quomodolibet in ijſdem interuenerint de eiuſdem poteſtatis plenitudine ſupplere, & tollere vellemus, & dignaremur, inſtanter ſupplicauerit, prout in Inſtrumento deſuper per dictum Chriſantem Notarium rogato, plenius continetur. Poſtmodum verò dilectus filius Ioannes Altouitus ſupradicti Commiſſarij generalis Subſtitutus, ſicut accepimus, facultate procuratoria huiuſmodi vtens, coram dilecto filio Stephano Vaio prædictæ Curiæ Capitolinæ Primo Collaterali nuncupato, Romanæq́ue Curiæ Ordinario, & ad interponenda Decreta in Contractibus voluntariæ Iuriſdictionis a Nobis ſpecialiter deputato Iudice Donationem, Ceſſionem, & Tranſlationem prædictas originaliter exhibuerit, inſinuauerit, & ſignificauerit, illaſq́ue ad plenam, & veram dicti Iudicis notitiam, iuxta Statutorum prædictorum formam, & tenorem deduxerit, & tandem illas per dictum Iudicem, pro Tribunali ſedentem, cauſa cognita, admitti, & pro inſinuatis haberi, & in actis publicis dilecti filij Ioannis Baptiſtæ de Octauianis dictæ Curiæ Capitolinæ Notarij, iuxta formam dictorum Statutorum regiſtrari, auctorita-

Inſtãtia pro cõfirmatione donationis, & quorumuis defectuum.

tem-

temque, & Decretum per dictum Iudicem deſuper quomodolibet neceſſaria, opportunè interponi, ſub die ſexta eiuſdem menſis Iunij obtinuerit. Nos igitur, qui Catholicæ Religionis incrementum, hæreſumque extirpationem, non ſolum ſinceris deſideramus affectibus, ſed ad vniuerſarum gentium, & animarum ſalutem procurandam, ac Fidem Catholicam in vniuerſum Mundum propagandam, tuendamque debitores Nos eſſe fatemur, ac propterea laudabili deſiderio, & piæ voluntati dicti Ioannis Baptiſtæ, conditionique in dictæ donationis Inſtrumento, quoad appoſitæ ſatisfacere cupientes, ipſumque Ioannem Baptiſtam à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ac Palatij prædicti, ſingulorumq; locorum, & membrorum ſuorum, ſituationes, confinia, qualitates, vocabula, & denominationes, ac donationis, & deſuper confecti Inſtrumenti, illiusque inſinuationis, decreti, aſſignationis, aliorumque ſuperius relatorum Inſtrumentorum totos tenores, etiam veriore., ac datæ præſentibus pro expreſſis habentes. Motu proprio, non ad eiuſdem Ioannis Baptiſtæ, vel alterius pro eo Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera ſcientia, & deliberatione Noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, donationem, ceſſionem, & tranſlationem huiuſmodi, omniaque in Inſtrumento deſuper, vt præfertur celebrato, contenta, acceptantes, illaque grata, & rata habentes, eadem Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuè, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam Iuris, quàm Facti, alioſque etiam ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper forſan interuenerint eiſdem auctoritate, & tenore ſupplemus. Et inſuper ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam, & Fidei Catholicæ incrementum vnum in Palatio prædicto, ſuiſque membris, & adiacentijs Collegium Pontificium, ſeu Seminarium Apoſtolicum, ſub inuocatione Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Paſtorale Vrbanum nuncupandum, pro Pro-

Acceptatio donationis, confirmatio conditionũ, & ſanatio defectuum.

Titulus Collegij.

pa-

paganda, ac tuenda Catholica, & Apoſtolica Fide, in quo Sacerdotes, ſeu Clerici duntaxat ſæculares, qui ad ſacros, & maiores ordines, ſeu ſaltem eorum aliquem intra annum ad minus à die eorum in huiuſmodi Collegio, ſeu Seminario receptionis computandum, promoueri omninò debeant, & teneantur, ex omni natione, & gente recipi, ac bonis moribus, veraque pietate, & ſancta Doctrina, ac alijs Catholico homine dignis virtutibus, ad effectum dictam Fidem Catholicam, Apoſtolicamque in partibus Infidelium, in quibus aliqui Orthodoxæ Fidei cultores remanſerunt tuendi, & conſeruandi, necnon eandem Fidem, in ijſdemmet partibus, quando recepta fuerit, totoque Terrarum Orbe propagandi, & dilatandi inſtrui, & pro dictæ Fidei tuitione, incremento, dilatatione, & propagatione vitæ periculum, & martyrium, ſi opus fuerit, ſubire omninò debeant perpetuis, futuris temporibus, & quouſque Electorum numerus completus, vnusque Paſtor, & vnum Chriſti ouile facta fuerint, duraturum, auctoritate & tenore præmiſſis, etiam perpetuò erigimus, & inſtituimus, illique ſic erecto, & inſtituto, pro eius Dote, & commoda illius Oeconomorum, Rectoris, Magiſtrorum, Præceptorum, & Alumnorum in eo pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, viginti tria prædictæ Fidei, ac alia triginta Sancti Bonauenturæ, ac quinquaginta Salis reſpectiue, nuncupata loca Montium prædicta, vna cum eorum fructibus, & prouentibus, ad quingenta ſexaginta quinque, vel circiter ſcuta monetæ Romanæ, ad rationem prędictam pro ſingulo ſcuto huiuſmodi annuatim, vt etiam accepimus aſcendētia, & pręterea Cenſum annuum dictorum centum, & quadraginta ſcutorum ſimilium, vt præfertur, ſorte principali duorum millium ſcutorum ſimilis monetæ ſuper bonis dicti Ioan. Franciſci Vgolini, ad rationem ſeptem pro centenario, & anno dicto Io. Baptiſtæ debitum, & per dilectos filios eius natos, & hæredes ad præſens ſolui ſolitum. Et deinde reliqua omnia dicti Io Baptiſtæ bona mobilia, & immobilia præſentia, & futura, iuraq;, actiones, & pecuniarum ſummas, ac credita, dictorumq;, & quorumuis aliorum Montium loca, & iura, quæ dictus Ioan. Baptiſta tempore ſui obitus habebit, & poſſidebit, ſeu ad eum quomodolibet ſpectare, & pertinere dignoſcentur in Vrbe prædicta, & in illius diſtrictu dun-

Alumni recipiantur ex omni natione.

Aſſignatio dotis pro ſuſtētatione Alumnorum, & Miniſtrorum.

duntaxat cõſiſtentia, tribus tamen millibus ſcutis ſimilibus monetæ prædictæ Romanæ Hoſpitali, & Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Monte ſerrato de Vrbe ex promptioribus ſuis mobilibus deſumendis, vt præfertur per eum in refrigerium animæ ſuæ donatis, demptis, exceptis, necnon Palatij prædicti cum omnibus ſuis membris, & pertinentijs, quoad dictus Ioannes Baptiſta vixerit vſu, & habitatione, dictorumque, & aliorum quorumcunque locorum Montium, ac Cenſus prædicti, reliquorumque omnium aliorum, tam mobilium; quàm immobilium præſentium, & futurorum, quouis nomine nuncupatorum, bonorum ſuorum vſufructu, ac de ſcutis centum auri in auro, ad beneplacitum ſuum teſtamentaliter diſponendi facultate ſibi reſeruatis, expenſiſque funeralium, & exequiarum ſuarum demptis, auctoritate, & tenore præmiſſis ſimiliter perpetuò aſſignamus, concedimus, appropriamus, & incorporamus. Et vt dicti Collegij, ſeu Seminarij de Propaganda, ac tuenda Fide conſeruationi, bonoque Regimini, & gubernio conſulamus tres Canonicos actu præbendatos, ex tribus Eccleſijs Patriarchalibus Vrbis, illarumque Capitulo, videlicet ex Lateraneñ vnum, & Principis Apoſtolorum alterum, ac Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatæ reliquum, ſingulos nempe ex ſingulis Patriarchalibus Eccleſijs huiuſmodi, quoad. perſonaliter tamen apud eaſdem Patriarchales Eccleſias reſederint, & in illis actu præbendati fuerint, & non amplius noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, pro tempore exiſtentium, arbitrio eligendos, & deſumendos, prout pro hac prima vice Iulium Zampolinum Spoletanum Lateranenſem, ac Magiſtrum Marcum Aurelium Maraldum Ceſenatenſem in vtraque Signatura noſtra Referendarium Principis Apoſtolorum, ac Pompeium de Angelis Romanum, Sanctæ Mariæ Maioris prædictæ reſpectiuè Patriarchalium Eccleſiarum Canonicos, actu præbendatos, & perſonaliter apud eos reſidentes dilectos filios in Adminiſtratores, Directores, Gubernatores, & Oeconomos dicti Collegij, ſeu Seminarij, ita quod ijs, ſeu Canonicatum, & Præbendam in dictis Patriarchalibus Eccleſijs ex quauis cauſa obtinere ceſſantibus, ſtatim alius ex Capitulo dictæ Patriarchalis Eccleſiæ, in qua vltimo loco defecit Canonicus etiam actu Præbendatus in eius locum, ſub eadem limitatione per Nos, & ſucceſſores noſtros duntaxat

Deputatio triũ Canonicorũ triũ Patriarchalium in Adminiſtratores.

Subrogatio Adminiſtratorum altero deficiente.

ſub-

ſubrogetur auctoritate, & tenore huiuſmodi pariter perpetuò conſtituimus, & deputamus, illiſq; ſic conſtitutis, & deputatis Rectorem, Præceptores, Magiſtros, Officiales, Oeconomos, & alias Perſonas in dicto Collegio, ſeu Seminario deputandi, illoſq; amouendi, & alios in eorum locum ſufficiendi, ac Statuta, Ordinationes, & Decreta, quæcumque licita tamen, & honeſta, Sacriſq; Canonibus, Apoſtoliciſq; Conſtitutionibus minimè aduerſantia, vel repugnantia faciendi, & edendi, ac illa quoties pro rerum, & temporum qualitate, ſeu aliàs expedire videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac etiam alia ex integro condendi, ita vt vbi edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint, eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmata, & approbata cenſeantur, plenam, & liberam facultatem, & omnimodam auctoritatem itidem perpetuò concedimus, & elargimur. Ac inſuper Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi, illiuſque Oeconomos, Rectorem, Magiſtros, Præceptores, & Alumnos pro tempore exiſtentes, illorumque domeſticos Officiales, & Miniſtros, ac ipſius Collegij, ſeu Seminarij bona mobilia, & immobilia, præſentia, & futura cuiuſcumque qualitatis, & quantitatis exiſtentia, & vbique locorum conſiſtentia ab omni iuriſdictione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium dilectorum filiorum Vicarij, Senatoris, Conſeruatorum, & Reformatorum, ac Rectoris Studij generalis dictæ Vrbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumq; Iudicum, & Officialium quorumcunque, tam in ipſa Vrbe, quàm extra eam, & vbicunque conſtitutorum, & præterea dictum Collegium, ſeu Seminarium, illiuſque Alumnos, & Scholares, perſonaſque in eo commorantes, ab omnibus, & ſingulis Portarum, Molendinorum farinæ, trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete Vini ſolui ſolitorum, alijſque Datijs, pedagijs, vectigalibus, angarijs, ac Terræ, Mariſq; gabellis, Dohanis, bollettinis, & quibuſuis alijs oneribus ordinarijs, & extraordinarijs hactenus quomodolibet impoſitis, & imponendis etiam ad inſtar exemptionis dilectorum filiorum Cameræ Apoſtolicæ, etiam ratione Ripæ, Ripettæ, Dohanæ Terræ, etiam Graſciæ nuncupatæ Vrbis prædictæ, ac Carnium, Vini, Frumentorum, Pannorum Lini, Lanæ, Serici, Librorum, Chartarum, & quaruncumque aliarum

Facultas deputandi Rectores, & officiales, illoſq. amouendi.

Facultas Statuta condendi, & illa immutandi.

Exemptio à iuriſdictione quorumcũq. Tribunaliũ Vrbis, ac Ordinariorum locorum.

Exemptio à ſolutione quarumuis Gabellarum ad inſtar Clericorũ Cam. Apoſtolicæ.

aliarum rerum ad humanum victum, & veſtitum neceſſarium, Apoſtolica auctoritate, & tenore prædictis eximimus, & liberamus, ac ſub Beati Petri, & dictæ Sedis, atque noſtra protectione ſuſcipimus, Nobiſque, & eidem Sedi immediatè ſubijcimus, ipſiſq; Collegio, ſeu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris, & Perſonis, vt quibuſcumque priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratijs, & indultis, quibus Studium generale dictæ Vrbis, & alia Germanicæ, Anglicæ, & Græcæ nationum Collegia in ipſa Vrbe à Prædeceſſoribus noſtris inſtituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, Officiales, Miniſtri, & Perſonæ, quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia vti, potiri, & gaudere valeant, dicta auctoritate pariter perpetuò de ſpeciali gratia indulgemus, diſtrictius inhibentes, ne quis, quauis auctoritate ſuffultus, Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi, illiuſq; Rectorem, Scholares, Magiſtros, Præceptores, Oeconomos, Officiales, & Miniſtros prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis, quouis modo moleſtet, aut moleſtari permittat. Ac decernentes prædicta omnia, ac ſingula, ac eaſdem præſentes, nullo vnquam tempore, ſiue ex eo, quod cauſæ, propter quas hæc omnia facta ſunt coram pro tempore exiſtente dictæ Vrbis Vicario, vel quocumque alio exactore verificatæ, & approbatæ, ac quicumque intereſſe habentes ad id vocati non fuerint, ſiue aliàs ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in Ius, vel Controuerſiam vocati, ſeu ad terminos Iuris reduci poſſe: ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, quauis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Epiſcopo Oſtienſi, ac prædicto noſtro in Vrbe,

Protectio S. Sedis Apoſt.

Extẽſio Priuilegiorũ, & gratiarũ, ac indultuũ alijs Colleg. & Seminarijs conceſſorum.

Quod non poſſit dari de ſubreptione, obreptione, ac nullitatis vitio, ſeu intentionis.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

Executores.

 eiuſq;

eiusq; diſtrictu Vicario, necnon dilecto filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta, quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, Scholarium, Magiſtrorum, Præceptorum, Oeconomorum, Officialium, & Miniſtrorum prædictorum, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illisq; efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac Rectorem, Scholares, Magiſtros, Præceptores, Oeconomos, Officiales, & Miniſtros prædictos, eorumq; ſingulos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque directè, vel indirectè, quouis quæſito colore, vel ingenio, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores

Facultas procedēdi per cenſuras. quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Iuris, & Facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſeruata forma Concilij Tridentini, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Bracchij ſecularis. Non obſtantibus præmiſ-

Clauſula derogatoria ampliſſima. ſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Vrbis locorum, & Cameræ huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis illis, ac Vicario, Senatori, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Ordinarijs, alijsq; Iudicibus, & Officialibus, ac Camerario, Præſidentibus, & Clericis prædictis, ac quibuſuis Dohanerijs, Commiſſarijs, & alijs perſonis ad exactionem Pedagiorum, & aliorum onerum huiuſmodi pro tempore deputatis, ac Populo Romano, & quorumcumque locorum, Cōmunitatibus, Vniuerſitatibus, & hominibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, etiam efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiā motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs etiā iteratis vicibus in contrariū quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam aliàs, pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores

res huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formam illis tradita, obſeruata, inſerti forent eiſdem præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi quibuſuis communiter, aut diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, acceptationis, approbationis, confirmationis, adiectionis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, aſſignationis, appropriationis, incorporationis, conſtitutionis, deputationis, conceſſionum, elargitionis, ſuſceptionis, ſubiectionis, indulti, inhibitionis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignatione Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Kal. Auguſti, Pontificatus Noſtri Anno Quarto. Dat. Bullæ.

Pro Illuſtriſs. D. Cardinale Ludouiſio Summ.re H. Vrſinus.

Frantinus Rentius.

Locus ✠ Plumbi.

Viſa N. Vrſinus.

G. Pontanus.

Bulla Vnionis Collegij de Propaganda Fide.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex communis Pater, & Paſtor circa Collegiorum, aliorumq; Piorum locorum quorumlibet, præſertim in Vrbe ad Orthodoxam Fidem propagandam inſtitutorum, & per Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſibi ſanguine coniunctos, proprijs eorum opibus liberali manu ampliatorum ſalubrem directionem, & felicem progreſſum è demandata ſibi Apoſtolicæ ſeruitutis officio ſollicitè intentus, ea quæ deſuper à ſe aliàs facta fuiſſe comperit, nonnunquam alijs iuſtis ita ſuadentibus cauſis alterat, & immutat, aliasq; officij ſui partes fauorabiliter interponit, prout perſonarum, rerum, & temporum qualitate debitè conſiderata etiam pro ipſorum Collegiorum, & Piorum locorum feliciori, & ſalubriori directione, & profectu id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem cum nobis innotuiſſet quondam Magiſtrum Ioannem Baptiſtam Viues, dum viueret, Presbyterum Valentiñ Citerioris Hiſpaniæ, in vtraque Signatura noſtra Referendarium, Prælatum domeſticum, & continuum Commenſalem Noſtrum, ac quondam Iſabellæ Claræ Eugeniæ Infantis Hiſpaniarum, ac Belgicarum Prouinciarum Principis, & Gubernatricis apud Nos, Sedemque Apoſtolicam Ordinarium Reſidentem Legatum, zelo Domus Dei, animarumque ſalutis, ac propagationis, & tuitionis Sanctæ Fidei Catholicæ, alijsque pijs rationibus, & ex deuotione ductum, Palatium quoddam in Platea Sanctiſſimæ Trinitatis Montis Pincij nuncupata de Vrbe, ſub regione Columnæ, intra ſua notiſſima latera, Plateamque prædictam, ac Vias publicas ſitum, aliàs delli Ferratini nuncupatum, quod tunc inhabitabat, vna cum ſuis membris, area, cortili, ſtabulis, remiſſis, vſibus, commoditatibus, adiacentijs, & pertinentijs vniuerſis, ad effectum in illo, illiusque ſitu Collegium, ſeu Seminarium vnum Apoſtolicum Sacerdotum, ſeu Clericorum Secularium, qui ſaltem ad ſacros Ordines maiores, ſeu eorum ad minus aliquem

intra

infra annum à die eorum in illo receptionis computandum omninò promoueri deberent, & tenerentur, ex omni gente, & natione deſumendorum, & per Nos, Romanosque Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore exiſtentes ad Fidem prædictam in toto Orbe Terrarum, vniuerſisque illius partibus propagandam, dilatandamque perpetuis futuris temporibus, & quouſque Electorum numerus completus, vnusque Paſtor, & vnum Chriſti ouile facta fuerint duraturum, ſub Regulis, Legibus, Statutis, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus beneuiſis, edendis, & ſtabiliendis, erigendi, inſtituendi, & creandi, & pro illius dote, ſeu dotis nomine, Alumnorumque in dictum Collegium, ſeu Seminarium pro tempore introducendorum ſubſtentatione vigintitria Fidei, & triginta Sancti Bonauenturæ, ac quinquaginta Salis reſpectiuè nuncupata loca Montium non vacabilium de Vrbe, vna cum omnibus, & ſingulis eorum fructibus, ac prouentibus inſimul ad quinquaginta, & ſexagintaquinque, vel circiter ſcuta monetæ Romanæ, ad rationem decem Iuliorum pro ſingulo ſcuto huiuſmodi annuatim aſcendentia, ac Cenſum annuum aliorum centum quadraginta ſcutorum ſimilium, aliàs ad Commodum quondam Diomedis Muſſi Cremonenſis pro ſorte principali duorum millium ſcutorum ſimilis monetæ ſuper bonis quondam Ioannis Franciſci Vrſolini per acta Dilecti filij Rinaldi Buratti Curiæ Cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Notarij ſub die vigeſima nona Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti ad rationem ſeptem pro centenario, & anno conſtitutum, ac poſtmodum ad fauorem dicti Ioannis Baptiſtæ per acta quondam Laurentij Bonincontri Curiæ Capitolij Notarij ſub die ſeptima Auguſti eiuſdem Anni venditum, & ceſſum, ac ad præſens per dilectos filios natos, & heredes dicti quondam Ioannis Franciſci ſolui ſolitum, & denique reliqua omnia ſua bona mobilia, & immobilia, præſentia, & futura, pecuniarum ſummas, actiones, & credita, iuraq; & alia quorumuis Montium loca, quæ tempore ſui obitus haberet, & poſſideret, ſeu ad eum quomodolibet ſpectare, & pertinere dignoſcerentur in hac noſtra Vrbe, & illius diſtrictu dumtaxat exiſtentia, exceptis tamen tribus millibus ſcutis ſimilis monetæ Romanæ ad eorundem rationem Iuliorum decem pro ſingulo ſcuto huiuſmodi ex promptioribus ſuis bonis depromendis per eum, aliàs in animæ ſuæ refrigerium Hoſpitali, & Eccleſiæ Bea-

tæ

tæ Mariæ de Monte Serrato nuncupato etiam de Vrbe, donatione cauſa mortis ſub die prima Menſis Decembris, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimiquinti, per acta dilecti filij Iacobi Moret Clerici Coniugati Elbereñ Diœceſis in Archiuio Romanæ Curiæ deſcripti Notarij Legalis, necnon quoad vixerit dicti Palatij cum prædictis ſuis membris, adiacentijs, & pertinentijs, vſu, & habitatione, ac prædictorum, & aliorum quorumcunque locorum, Montium, Cenſusq; prædicti, & reliquorum omnium, tam mobilium, quàm immobilium præſentium, & futurorum, quouis nomine nuncupatorum bonorum ſuorum vſusfructu, & de ſcutis centum auri in auro ad beneplacitum ſuum teſtamento diſponendi facultate ſibi reſeruatis, expenſisq; funeralium, & exequiarum ſuarum, iuxta ſtatus ſui exigentiam, & qualitatem demptis, Nobis, & Succeſſoribus noſtris prædictis canonicè intrantibus, cum conditione tamen, quod ſi Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi in dicto Palatio, ſuisq; membris, & pertinentijs cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote, & Alumnorum in eo introducendorum ſubſtentatione aſſignatorum, vita noſtra durante, non fundauiſſemus, erexiſſemus, vel inſtituiſſemus infraſcripta Donatio Succeſſori noſtro immediato ſub eadem conditione, & eo etiã in his deficiente, alijs Romanis Pontificibus Succeſſoribus Noſtris, vt præfertur canonicè intrantibus in infinitum, donec, & quouſque intentio, & pia voluntas dicti Ioannis Baptiſtæ, modo præmiſſo, ſuum plenè ſortita eſſet effectum, & non aliàs, nec alio modo facta eſſe cenſeretur, Donatione perpetua, ſpontanea, & irreuocabili, quæ dicitur fieri inter viuos per acta quondam Chriſantis Roſcioli Fulignateñ ſimiliter Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarij ſub die prima Menſis Iunij milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti dediſſe, donaſſe, ceſſiſſe, & tranſtuliſſe, & pro obſeruatione Statutorum Vrbis circa inſinuationes ſimilium donationum faciendis editorum ſponte, omniq; meliori modo, quo poterat, & debebat dilectum filium Subſtitutum dilecti filij Commiſſarij Generalis Cameræ noſtræ prædictæ ad ſpecialiter, & expreſſè donationem, ceſſionem, & tranſlationem prædictas coram quouis Ordinario, vel alio Romanæ Curiæ Iudice, & coram quibus opus eſſet ſuo nomine inſinuandas, ſignificandas, & notificandas, Procuratorem ſuum feciſſe, & conſtituiſſe, Nobisq; propterea, vt tenorem dicti Inſtrumenti, donationemque, ceſſationem, & tranſlationem huiuſmodi pro illarum maiori ſubſiſtentia, & perpetua roboris firmitate de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmare,

re, & approbare, omneſque, tam formales, & ſubſtantiales, quàm alios quoſuis, tam Iuris, quàm Facti defectus, ſi quomodolibet in eiſdem interueniſſent de eiuſdem poteſtatis plenitudine ſupplere, & tollere vellemus, & dignaremur, inſtanter ſupplicauiſſet. Poſtmodum verò dilectum filium Ioannem Altouitum, ſupradicti Commiſſarij generalis tunc Subſtitutum, facultate procuratoria huiuſmodi vtentem coram tunc exiſtente dictæ Curiæ Capitolij primo Collaterali, Romanæq; Curiæ Ordinario, & ad interponendum Decreta in Contractibus voluntariæ iuriſdictionis à Nobis ſpecialiter deputato Iudice, donationem, ceſſionem, & tranſlationem prædictas originaliter exhibuiſſe, inſinuaſſe, & ſignificauiſſe, illasq; ad plenam, & veram dicti Iudici, notitiam, iuxta Statutorum prædictorum formam, & tenorem deduxiſſe, & tandem illas per dictum Iudicem pro Tribunali ſedentem, cauſa cognita admitti, & pro inſinuatis haberi, & in actis publicis dilecti filij Ioannis Baptiſtæ de Octauianis, dictæ Curiæ Capitolinæ Notarij, iuxta formam dictorum Statutorum regiſtrari, auctoritatemque, & Decretum per eundem Iudicem deſuper quomodolibet neceſſaria, & opportuna interponi ſub die ſexta eiuſdem menſis Iunij obtinuiſſe. Nos qui Catholicæ Religionis incrementum, hæreſumq; extirpationem, non ſolum ſinceris deſideramus affectibus, ſed ad vniuerſarum gentium, & animarum ſalutem procurandam, ac Fidem Catholicam in vniuerſum Mundum propagandam, tuendamq; debitores Nos eſſe fatemur, ac propterea laudabili deſiderio, & piæ voluntati dicti Ioannis Baptiſtæ, conditioniq; in dicto Donationis inſtrumento appoſitæ ſatisfacere cupientes. Motu proprio, & ex mera ſcientia, & deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Donationem, Ceſſionem, & Tranſlationem huiuſmodi, omniaq; in Inſtrumento deſuper, vt præfertur, celebrato contenta acceptantes, illaq; rata, & grata habentes, eadem Apoſtolica auctoritate perpetuò approbauimus, & confirmauimus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiecimus, & omnes, & ſingulos, tam Iuris, quàm Facti, aliosq; dictos ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper forſàn interuenerint, ſuppleuimus, & inſuper ad maiorem Omnipotentis Dei Gloriam, & Fidei Catholicæ incrementum; vnum in Palatio prædicto, ſuiſq; membris, & adiacentijs Collegium Pontificium, ſeu Seminarium Apoſtolicum ſub inuocatione Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum paſtorale Vrbanum nuncupatum, pro Propaganda, ac tuenda Catholica

Fide,

Fide, in quo Sacerdotes, ſeu Clerici duntaxat ſæculares, qui ad Sacros, & maiores Ordines, ſeu ſaltem ad eorum aliquem infra annum ad minus à die eorum in huiuſmodi Collegio, ſeu Seminario receptionis computandum, promoueri omninò debeant, & teneantur ex omni natione, & gente recipi, ac bonis moribus, veraq; pietate, & ſacra Doctrina, & alijs Catholico homine dignis virtutibus, ad effectum dictam Fidem Catholicam, Apoſtolicamq; in partibus infidelium, in quibus aliqui Orthodoxæ Fidei cultores remanſerunt tuendi, & conſeruandi, necnon eandem Fidem in eiſdemmet partibus quando recepta fuerit, totoq; terrarum Orbe propagandam, & dilatandam inſtrui, & pro dictæ Fidei tuitione, incremento, dilatatione, propagatione, vitæ periculum, & Martyrium, ſi opus fuerit, ſubire omninò debeant perpetuis futuris temporibus, & quouſque Electorum numerus completus, vnusq; Paſtor, & vnum Chriſti ouile facta fuerint, duraturum, auctoritate prædicta, etiam perpetuò ereximus, & inſtituimus; illiq; ſic erecto, & inſtituto, pro eius dote, & commoda illius Oeconomorum, Rectoris, Magiſtrorum, Præpoſitorum, & Alumnorum in eo pro tempore exiſtentium ſubſtentatione, viginti tria prædicta Fidei, & alia triginta Sancti Bonauenturæ, ac quinquaginta Salis reſpectiuè nuncupata loca Montium prædicta, vna cum eorum fructibus, & prouentibus ad quingenta ſexaginta quinque, vel circiter ſcuta monetæ Romanæ, ad rationem prædictam pro ſingulo ſcuto huiuſmodi annuatim, vt acceperamus aſcendentia, & præterea Cenſum annuum dictorum centum quadraginta ſcutorum ſimilium, vt præfertur ſortis principalis duorum millium ſcutorum monetæ ſimilis ſuper bonis dicti quondam Ioannis Franciſci Vgolini ad rationem ſeptem pro centenario, & anno, dicto Ioanni Baptiſtæ debitum, & per dilectos filios, natos, & hæredes dicti quondam Ioannis Franciſci nunc ſolui ſolitum, & deinde reliqua omnia dicti Ioannis Baptiſtæ bona mobilia, & immobilia, præſentia, & futura, iuraque, actiones, & pecuniarum ſummas, ac credita dictorum, & quorumuis aliorum Montium loca, & iura, quæ dictus Ioannes Baptiſta tempore ſui obitus haberet, & poſſideret, ſeu ad eum quomodolibet ſpectare dignoſcerentur in Vrbe prædicta, & in illius diſtrictu duntaxat conſiſtentia, tribus tamen millibus ſcutis monetæ Romanæ prædicto Hoſpitali, & Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Monte Serrato de Vrbe ex promptioribus ſuis mobilibus bonis deſumendis, vt præfertur per eum in refrigerium animæ ſuæ

dona.

donatis, demptis, & exceptis, necnon Palatij prædicti cum omnibus ſuis membris, & pertinentijs quoad dictus Ioannes Baptiſta vixiſſet vſu, & habitatione, dictorumque, & aliorum quoruncumque locorum Montium, & Cenſus prædictorum, reliquorumq; omnium, & aliorum, tam mobilium, quàm immobilium tunc præſentium, & futurorum quouis nomine nuncupatorum bonorum ſuorum, vſufructu, ac de ſcutis centum auri in auro ad beneplacitum ſuum teſtamento diſponendi facultate ſibi reſeruatis, expenſisq; funeralium, & exequiarum ſuarum demptis, ſimiliter perpetuò aſſignauimus, conceſſimus, appropriauimus, & incorporauimus; & vt dicti Collegij, ſeu Seminarij de Propaganda, ac tuenda Fide conſeruationi, bonoq; regimini, & gubernio conſuleremus, tres Canonicos actu præbendatos ex tribus Eccleſijs Patriarchalibus Vrbis, illarumq; Capitulis, videlicet ex Lateraneñ vnum, ex Diui Principis Apoſtolorum alterum, ac ex Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatæ, reliquum, ſingulos nempè ex ſingulis Patriarchalibus Eccleſijs huiuſmodi, quoad perſonaliter tantùm apud eaſdem Patriarchales Eccleſias reſiderent, & in illis actu Præbendati forent, & non amplius Noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium arbitrio eligendos, & declarandos, prout tunc Iulium Zampolinum Lateranenſem, ac Magiſtrum Marcum Aurelium Maraldum Ceſenatenſem in Vtraque Signatura noſtra Referendarium Principis Apoſtolorum, & Pompeium de Angelis Romanum, Sanctæ Mariæ Maioris prædictæ reſpectiuè Patriarchalium Eccleſiarum Canonicos actu præbendatos, & perſonaliter apud eas reſidentes in Adminiſtratores, Directores, Gubernatores, & Oeconomos dicti Collegij, ſeu Seminarij: ita quod ijs, ſeu eorum altero, vel duobus ex eiſdẽ deficientibus, ſeu Canonicatus, & Præbendas in dictis Patriarchalibus Eccleſijs, ex quauis cauſa obtinere ceſſantibus, ſtatim alius ex Capitulo dictę Patriarchalis Eccleſię, in qua vltimo loco defuiſſet Canonicus, etiã actu præbendatus in eius locum ſub eadem limitatione per Nos, & Succeſſores noſtros duntaxat ſubrogaretur pariter perpetuò conſtituimus; & deputauimus, illiſque ſic conſtitutis, & deputatis, Rectores, Præceptores, Magiſtros, Officiales, Oeconomos, & alias perſonas in dicto Collegio, ſeu Seminario deputandi, illosq; amouendi, & alios in eorum loco ſufficiendi, ac Statuta, Ordinationes, & Decreta quæcumque, licita tamen & honeſta, ſacriſq; Canonibus, Apoſtolicisq; Conſtitutionibus minimè aduerſantia, vel repugnantia faciendi, & edendi, ac illa

quoties pro rerum, temporum qualitate, ſeu aliàs expedire videretur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi; ita vt vbi edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita forent, eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmata, & approbata viderentur, plenam, & liberam facultatem, & omnimodam auctoritatem perpetuò conceſſimus, & elargiti fuimus, ac inſuper Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi, illiusq; Oeconomos, Rectores, Magiſtros, Præceptores, & Alumnos pro tempore exiſtentes, illorumq; domeſticos Officiales, ac Miniſtros, ac illius Collegij, ſeu Seminarij bona mobilia, & immobilia, præſentia, & futura, cuiuſcunque qualitatis, & quãtitatis exiſtentia, ab omni iuriſdictione, Dominio, Superioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium dilectorum filiorum Vicarij, Senatoris, Conſeruatorum, & Reformatorum, ac Rectoris Studij Generalis dictæ Vrbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumq; Iudicum, & Officialium quorumcumque, tam in ipſa Vrbe, quam extra eam, & vbicumque conſtitutorum exemimus, & liberauimus; ipſisq; Collegio, ſeu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris, & Perſonis, vt quibuſcumque Priuilegijs, & exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratijs, & Indultis, quibus Studium generale dictæ Vrbis, & alia Germaniæ, Angliæ, & Græciæ Nationum, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, Officiales, Miniſtri, & Perſonæ, quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia vti, potiri, & gaudere valent, pariter perpetuò de ſpeciali gratia indulſimus: Eidemq; Collegio dilectum filium noſtrum Martium S. Angeli in Foro Piſcium, S.Rom.Eccleſiæ Diaconũ Cardinalem Ginettum nuncupatum, per chyrographum noſtrum in Protectorem, & Iudicem etiam priuatiuè, quoad quoſcunque alios deputauimus, ſucceſſiuèq; ad protegendum, & maiori cum decore hoc tam pium, tamq; commendabile eiuſdem Io. Baptiſtæ Viues opus conſeruandum, ampliandum, & perpetuandum, vt quæ ipſum Palatium crebriùs frequentaretur, & fideles quilibet hoc medio magnam ipſius Ioannis Baptiſtæ Viues pietatem admirantes ad prædictum augendum, ac alia pietatis, & charitatis opera, etiam ex integro fundanda, iugiter allicerentur in idem Palatium, Congregationem S.R.E. Cardinalium de Propaganda Fide, qui illic eorum Congregationem face-

facerent, introduximus, & inſtituimus, eiſq; Collegium, ſeu Semi-narium prędictũ plurimum in Domino commendauimus. Hincq; ac etiam ex ſingulari, & admodum propenſo eius erga Deum, ac Pietatis, & Miſericordiæ opera affectu permotus dilectus filius Noſter Antonius, tunc Tituli S.Honuphrij, ad præſens verò S.Petri in Vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Honuphrij nuncupatus, noſter ſecundum carnem frater germanus Maior Pœnitentiarius, & Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius, vnuſq; ex Cardinalibus Congregationis prædictæ in dicto Palatio, ſeu iuxta illud Eccleſiã proprio ære conſtrui curauit, & poſtea Nos eius votis benignè annuẽtes in prædicto Collegio, ſeu Seminario primò vnum pro duodecim ex Georgianorum, & Perſarum, ac Neſtorianorum, necnon Iacobitarum, & Melchitarum, ac Cophtarum, duobus videlicet pro qualibet oriundis, & ſubſecutiuè alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum, ſeptem pro Aethiopicæ, ſeu Abyſſinæ, ſex verò Bragmanæ Indiarum Orientalium Nationum reſpectiuè Alumnis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, reſpectiuè ereximus, & inſtituimus, eiſq; ſic erectis, & inſtitutis, pro Alumnorum huiuſmodi ſubſtentatione, aliorumq; onerum ſupportatione redditus annuos ad annua ſcuta mille, & ſeptingenta monetæ Romanæ aſcendentes in tot locis Montium non vacabilium de Vrbe, per dictum Antonium Card. aſſignatos, & tunc expreſſos, etiam perpetuò conceſſimus,& aſſignauimus,& ius nominandi Alumnos prædictos eidem Antonio Cardinali, & certis alijs perſonis tunc expreſſis ſimiliter perpetuò reſeruauimus; & propterea dicto Antonio Cardinali quoad vixerit, & eo defuncto prædictæ Congregationi de Propaganda Fide amborum Alumnatuum prædictorum, omnimodam protectionem,regimen,& gubernationem, plenam ſuperintendentiam, ac facultatem deputandi Rectorem dictorum duorum Alumnatuũ per eius patentes, Rectorem pro tempore dicti Collegij,cuius curæ immediatæ ſubeſſent eorum Alumni, quiq; prædictæ Congregationi,ſeu ab eo deputando ſingulo trimeſtri rationem dati,& recepti reddere deberet,eadem auctoritate perpetuò itidem tribuimus,& impartiti fuimus, aliaq; decreuimus, & ſtatuimus,prout in diuerſis noſtris ſuper Collegij, ſeu Seminarij, & Alũnatuum huiuſmodi erectionibus ſub kal. Auguſti anno quarto, & decimo, kalendis Aprilis anno decimoquinto,ac ſextodecimo; kalendis Iunij anno decimo ſexto Pontificatus noſtri reſpectiuè expeditis litteris, ac etiam in chyrographo prædicto, cuius, & quarum totos, & integros tenores, etiam veriores, ac Datas præſen-

tibus haberi volumus pro expreſſis vberius reſpectiuè continetur. Cum autem, ſicut accepimus, idem Collegium, ſeu Seminarium de Propaganda Fide ad præſens ſumptibus, & impenſa eiuſdem Antonij Cardinalis, in pietatis & miſericordiæ operum exercitio continuantis coempta tota domorum eidem Collegio vndecunque contiguarum, ſeu coherentium inſula, dirutaque earum maiori parte, in qua Collegium valde ab eodem Antonio Cardinale ampliatur, & magis inſigne efficitur ſplendida, & inſigni, copioſiorīq; Scholarium numero capaci à fundamentis conſtructione reddatur. Ideoq; Collegium, ſeu Seminarium huiuſmodi, quod antea paucis conſtabat Alumnis, ob auctum illorum ex erectione duorum Alumnatuū prædictorum intuitu eiuſdem Antonij Cardinalis per Nos, vt præfertur, facta numerum maiori adminiſtratione, & gubernio, & aliqua ſpeciali circa qualitatem illius Rectoris pro tempore deputandi prouiſione, & declaratione opus habeat, vtilitatique, & fructuoſo regimini Collegij, ſeu Seminarij huiuſmodi plurimum conducere exiſtimetur, vt idem Collegium, ſiue Seminarium, eiquè ſucceſſiuè additi Alumnatus prædicti ad eorum Collegiales, & Alumnos, ac Miniſtros in pace, & quiete confouendum ab vno tantum Protectore, Rectore, Gubernatore, & Superintendente regantur, gubernentur, & adminiſtrentur, idquè à nemine melius, & fructuoſius præſtari poſſe noſcatur, quam à dicto Antonio Cardinale, ac Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardd. Congregationis de Propaganda Fide huiuſmodi motu itaque, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & ex voto dilecti filij Noſtri Iulij Tituli Sanctæ Suſannæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sacchetti nuncupati, ac dilectorum etiam filiorum quorundam Romanæ Curiæ Prælatorum à Nobis deſuper ad id ſpecialiter deputatorum, omnimodam, atque totalem facultatem, & auctoritatem per priores Noſtras litteras tribus Canonicis Eccleſiarum Patriarchalium prædictarum circa adminiſtrationem, directionem, & gubernium Collegij, ſeu Seminarij prædicti, illiusq; Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, Oeconomorum, & aliorum Officialium, & circa confectionem Statutorum, & Ordinationum huiuſmodi, ac aliàs quomodolibet per Nos, vt præfertur, conceſſas à modernis, & ad præſens deputatis Canonicis dictarum Eccleſiarum Patriarchalium, per præſentes perpetuò auocamus, & auferimus, ac Canonicos Patriarchalium Eccleſiarum huiuſmodi in Adminiſtratores, Directores, Gubernatores, & Oeconomos Collegij, ſeu Seminarij, illiusquè

Re-

Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, Oeconomorum, & aliarum perſonarum, ac bonorum, & iurium huiuſmodi de cætero aſſumi prohibemus, facultatemque, & auctoritatem, eligendi, deputandi, ac amouendi Alumnos, ſeu Collegiales Collegij, ſeu Seminarij prædicti cum bonis dicti Io. Baptiſtæ Viues, vt præfertur, fundatoris, & dotatoris, Nobis, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus, & perpetuò reſeruamus; ipſius verò Collegij, ſeu Seminarij, illiuſq; Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, Oeconomorum, Alumnorum, ſeu Collegialium, & aliarum perſonarum, ac bonorum, redituum, iurium, & actionum quaruncumque omnimodam adminiſtrationem, directionem, ſuperintendentiam, regimen, & gubernium dicto Antonio Card. quoad vixerit per eum communicato, vt ſperamus conſilio cum Congregatione dictorum Cardinalium, ita tamen, vt negotijs grauioribus Gubernium, & Regimen Collegij, ſeu Seminarij huiuſmodi concernentibus dictus Antonius Cardinalis, & ipſa Congregatio reſpectiuè Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes conſulere, illorumq; participes facere omninò teneantur dicta auctoritate priuatiuè, tam quo ad Canonicos prædictos, quam quoſcumque alios, etiam quauis dignitate, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue laicali præditos, & quantumlibet priuilegiatos, & ſpeciali nota dignos, qui illos, & illa quomodolibet prætendere poſſent pariter perpetuò committimus, & demandamus, iuriſdictionemque, & illius plenum exercitium, quo ad cauſas, & lites prædicti Collegij in eodem chyrographo contentas, Iudici prædictæ Congregationis de Propaganda Fide, vel alteri, eidem Antonio Cardinali donec vixerit beneuiſo per ipſum Cardinalem deputando, cum facultatibus in eodẽ chyrographo expreſsis, committimus; ipſiq; Antonio Cardinali quoad vixerit, quæcunque Statuta, & Ordinationes proſperum regimen, & gberniũ Collegij, ſeu Seminarij, illiuſq; Miniſtrorum, & Perſonarum, ac bonorum huiuſmodi quomodolibet concernentia, ac aliàs vtilia, & neceſſaria cum ſimili conſilio Congregationis Cardinalium prędictorum condendi, & promulgandi, & tam Antonio Cardinali prædicto, quoad vixerit cum ſimili, vt ſperamus communicatione, quam eo defuncto ipſi Congregationi Cardinalium, quoties rerũ, & temporum qualitas exiget, ac aliàs expediens videbitur, Statuta, & Ordinationes huiuſmodi alterandi, corrigendi, modificandi, & declarandi, ſeu alia ex integro condendi, quæ ſtatim atque condita, & edita fuerint, omnes quos quomodolibet concernent ad eorũ

obſer-

obſeruationem, ſub pœnis in eis infligendis arctent, et aſtringant, non ſecus, ac ſi Apoſtolicam auctoritatem, motuque pari pacificè confirmata fuiſſent plenam et liberam auctoritatem, et facultatem concedimus, et impartimur. Inſuper in Rectorem Collegij, ſeu Seminarij huiuſmodi ſemper vnum Presbyterum ſæcularem, vel regularem, iudicio dicti Antonij Cardinalis, vt præfertur, donec vixerit, & dicto Antonio Cardinale defuncto Cōgregationis Cardinalium huiuſmodi habilem, & idoneum, qui ad libitum, & nutū liberum Antonij Cardinalis, & reſpectiuè Congregationis huiuſmodi duret, & amoueri poſſit deputandum, & eligendum fore, & eſſe. In Alumnos verò, ſeu Collegiales, tam Collegij, ſeu Seminarij, quam vtriuſque Alumnatuum huiuſmodi perſonas talis ætatis, vt intra annum à die eorum receptionis ad ſacros Ordines, ſeu ſaltem eorum aliquem promoueri poſſint, niſi aliàs dicto Antonio Cardinali, & Congregationi prædictæ, ac alijs ius nominandi, & eligendi habentibus, vt ſupra, expedire videbitur, circūſcripta, quoad hoc litterarum Apoſtolicarum erectionis Alumnatuum huiuſmodi diſpoſitione, etiam eligi, & nominari debere ſtatuimus, & ordinamus, decernentes præſentes vllo vnquam tempore, ſiue ex eo quod cauſæ propter quas illæ emanarunt, verificatæ, & approbatæ, ac Canonici prædicti, & alij quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad id vocati non fuerint; ſiue aliàs ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius, vel controuerſiam reuocari, ſeu ad terminos Iuris reduci non poſſe, ſicq; in præmiſſis per quoſcunque Iudices etiam delegatos quauis auctoritate fungentes, etiā Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; quocirca Venerabilibus Fratribus Noſtris Oſtieñ, & Portueñ Epiſcopis, ac dilecto filio Cauſarū Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta, motu pari mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta, quæcūque, vbi, & quando opus fuerit, quoties pro parte Antonij, & aliorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide huiuſmodi fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſq; circa illa efficacis de-

fen-

ſenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, ac in eis cõtenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, ac Antonium, & alios Cardinales Congregationis huiuſmodi illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quollibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Iuris, & Facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, legitimis ſuper his habendis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Bracchij ſecularis. Non obſtantibus priori Noſtra voluntate, prioribusq; litteris noſtris prædictis, ac Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Iure quæſito non tollendo, alijſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in ſingulis litteris, ac chyrographo noſtro prædictis, voluimus non obſtare contrarijs quibuſcũque, ſeu ſi quibuſuis cõmuniter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenã, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ auocationis, ablationis, prohibitionis, reſeruationis, communicationis, mandati, conceſſionis, impartitionis, ſtatuti, ordinationis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, decimo ſeptimo kal. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno Decimo octauo.

E. DAT.

Viſa de Curia.

BIBLIOTECA NAZ.

Petrus Gentilis.

F. de Aſte.

Petr. Ciampinet.

Munita ſub ſigno SS. Petri & Pauli, plumbî pendentis.
Regiſtrata in Secretaria Breuium.